Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Pasch

Johannis Paschii P. P. Gynaeceum Doctum : sive Dissertatio Historico-Literaria, Vom Gelehrten Frauenzimmer ; antea Wittebergæ Anno 1686. publice exposita

nunc vero multorum rogatu denuo recusa, Witteb.: Fincelius, 1701

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0001

Bb 1053 1-31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0002

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830125345/phys_0003

28.

JOHANNIS PASCHII
P. P.

GYNÆCEUM DOCTUM;
sivè
DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA,

Vom Gelehrten Frauenzimmer/
antea
Wittebergæ Anno 1686.
publice expoſita,
nunc vero multorum rogátu
denuo recuſa.

Impenſis et Typis CHRISTIANI FINCELII
Witteb. A. 1701.

649
25
29
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0005

Favente VIRGINIS Filio JESU!

§. I.

VIsum nobis & constitutum est aperire ac perlustrare obiter non molle *monasterium*, nec leve *gyneum*, sed dulce *gynæceum*, idqve non antiqvorum *Germanorum inculturn*, in qvo *Fœminæ* literarum secreta ignorasse *Tacito* [a] dicuntur, sed cultiorum Gentium *doctum*. Qvod qvi nobiscum intrare cupit, modestè accedat, honestè recedat necesse est. Pias, pudicas & literarum peritissimas *Virgines* atqve *Matronas* non affectus sed doctrinæ, non adulationis sed admirationis, non ostentationis sed imitationis ergò contemplari & laudare suscipimus.

§. II. Qvod *licet magnum* sit & supra vires nostras positum, in magnis tamen voluisse sat est. *Utut* etiam res *periculo* non careat placere *Heroinis*, & Generosis ingeniis satisfacere, non tamen *Alexandro*, qvi à nemine nisi à solo *Apelle* pingi volebat; sed *Augusto*, cui sæpius in ore illud: *Simus hoc Catone contenti*; similia sistimus Ingenia. *Etiamsi* deniqve *actum agere* & *Iliada* post *Homerum* scribere videamur; pulchrum tamen & honestum est, qvod repetimus. Id bis aut ter ceciniisse licet & juvat.

§. III. Nihil refert ab initio odiosè pugnasse, *utrum Fœminæ sint Homines* [b]? cùm, qvi id mordicus negare vellet, non ex humano sed canino utero nasci debuisset, ne homo procreatus fuisset à non homine, qvod naturæ per nativitatem univo-

[a] *In de Morib Germ. cap. XIX §. 1.* [b] *Qvod negare inducti sunt Non nulli ob versionem Drusii & Pagnini qvi Gen. II. v. 25. legunt: Homo & uxor ejus. Sed illos idem Drusius refutavit in Epist. ad Gvilielm. Baudartium, qvæ exstat in Biblioth. S. Schotani L 3. p. 8.*

cam prorsus impossibile. Neqve est, ut prolixè contendamus: *An fœminis literarum cultus conveniat?* Palma enim eruditionis in medio posita & utriqve sexui obvia est. Et qvidni primæva animæ perfectio in seqviori sexu etiam per lapsum collapsa studiis elegantioribus aliqvantulum reparari deberet? Imò si qvis igneam fœminei ingenii vim supinè negligeret, optumæ indoli vis inferretur, qvæ bonâ & æqvâ institutione destituta in deteriora ruit & luxuriatur. Neqve multùm contendisse juvat: *An Mulieribus doctrina & virtute præstantibus regnum possidere & administrare competat* (c)? Facilè enim largimur tolerandam, non præcipiendam gynæcocratiam esse, vel qvia minus bonus est, qvàm imperium viri; vel qvia minus mala, qvam Reipl. concussio. Imperandi namq; potestas ex virtute æstimari debet, hinc *Alexander M* non nisi Ἀρίστου suffici *Sibi* volebat. Virtus autem tàm Viris, qvàm Fœminis accepta, nulli præclusa omnes admittit, nec censum nec sexum eligit.

§. IV. Ut verò paucis multa de fœminei sexus eminentiâ complectar; non temerè nec arroganter dixerim omnis hierarchici ordinis felicitatem à solis proficisci *Fœminis*. Qvæ si rectè educatæ, honestè elocatæ & prudenter habitæ fuerint, non possunt nō thoro, foro & choro lætiorem eniti & tradere prolem, qvæ domi rem familiarem utiliter instruat, civitatem cum justitiâ moderetur, & Ecclesiæ cum pietate inserviat. Nam adeò à teneris adsvescere multum est, ut piarum Matrum curis, oculis, manibus, monitis, precibus, lacrymis, nostrum fortunæ cursum præcipuè acceptum feramus.

§. V. Cùm verò fœminæ sint, *Petro* 1. Epist. c. III. 7. teste, ἀσθενέστερον σκεῦος, leves, effrenes, atqve ad lapsum proclives, qvod *Menander.* (d) *Terentius* (e), *Eleazarus*, (f) *Basilius M.* (g) sententiosè &

(c) *Qvæstionem hanc negavit Bodinus lib. VI. de Repl. c. 5. Lipsius lib. I. doctr. Pol. IX & 11. Select. Polit. sect. 12. p. 1. Schonbornerus lib. II. Polit. c. XII. p. 157. Ex adverso Fœminarum Imperium approbant Petr. Tholosanus lib. VII. de Repl. cap 11. Danæus lib. VI. Polit. c. 3. Althusius c. XIX. Polit. n. 78. Dan Otto c. XVII. de Jure publ. &c.* (d) *apud Stobæum Serm. LXXI. de vitup. Mulierum.* (e) *in Hecyra Act. III. Sc. 1. p. 32.* (f) *apud Aristæam lib. de LXXII. Interpp.*

& eleganter obſervarunt, in id qvoqve Veteres omni operâ & curâ incubuerunt, ut puellas atqve virgines labori aſvefacerent & ſedulò cuſtodirent. *Hippocrates* (h) χρῆζει *inqvit*, γυνὴ σωφρονίζοντος. Ἔζει γὰρ φύσει τὸ ἀκόλαστον ἐν ἑαυτῇ, ὅπερ εἰμὴ καθ' ἡμέρην ἐπικόπτοιτο, ὡς τὰ δένδρα καθυλομανεῖ. Similia *Iſidorus Hiſpalenſis* (i) refert, Veteres voluiſſe fœminas innuptas, qvamvis perfectæ ætatis eſſent, propter ipſam animi levitatem ſub tutela vivere. Cumprimis virgines pubertatis tempore circumſpectè aſſervandas putarunt, qvia tùm maximè ad uſum rei Venereæ incitentur. Μάλιστα, *inqvit Ariſtoteles* (k), καὶ φυλακῆς δέονται περὶ τὸν χρόνον τοῦτον. Μάλιστα γὰρ ὁρμῶσι πρὸς τὴν ἀφροδισίων χρῆσιν ἀρχομένων αὐτῶν. Moleſtam autem atqve difficilem hanc cuſtodiendi curam fuiſſe *Phocylides* (l) teſtis eſt, dum ſcribit: κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσιν, *liberorum pulchritudo difficilis eſt cuſtoditu parentibus*. Communi tamen apud *antiqviſſimos Græcos* lege cautum erat, ne Mulieres ante fores ſtarent, in publicum proſpicerent aut prodirent, θύρασι ἀξίαν τοῦ μηδενος, ait, *Menander* (m). Et *Euripides* (n) dicit turpe eſſe mulieri ad fores ſtare cum viris juvenibus. Hoc illud eſt *Demoſthenis* ex *Solone* οἰκουρεῖν ſive *domi ſe continere, domum cuſtodire*; *Euripedis* (o) ἐνκατακλεῖσθαι δόμοις *concludi in ædibus*; *Cornelii Nepotis* (p) ſedere in inriore parte ædium, qvæ *gynæconitis* appellata fuit. Neqve *in convivium adhibebantur fœminæ*, videbant enim alioqvin fore, ut *vel* matronalem, virginalemve pudorem libertas jocantium offenderet, *vel* jocandi libertatem illius habita ratio retardaret (q). Tanti fuit Veterum *Athenienſium* in cuſtodienda Virginum ſuarum pudicitiâ ſeveritas!

§. VI. Laxiores *Spartanorum* Virginibus concesſiſſe habenas

(g) *lib. de Virgin.* (h) *Apud Stobæum Serm. LXXII. de Nupt. Præcept.* (i) *lib. IX. Orig. c. VIII, circa fin.* (k) *lib. IIX. Hiſt. Anim. cap. 1.* (l) *in Nuthet. ſuo v. 205.* (m) *apud Stobæum Serm. LXXII.* (n) *in Electra Act. II.* (o) *Oreſte Act. III Conf. Horat. lib. III. Carm. Od. XVI. v. 1. 5.* (p) *in præf.* (q) *Vid. Joh. Guilielm. Stockius in Antiq. Conviv. lib. II. c. 1. p. m. 145.*

benas videtur *Lycurgus* [r]. Corpora enim earundem *cursu, luctâ, discorum & telorum jactu* exerceri jussit. Concessit etiam in publico spectari & conversari puellas. Commodè saltare & eleganter cantare, assistentibus ac spectantibus juvenibus, non prohibuit. Sed huic delectationi nihil obscœni suberat. Conjunctus erat rubor, aberat libido. Tractu temporis tamen hæc *Lycurgi* indulgentia fecit *Virgines Lacænas* Poëtarum satyris perstringi, ut ignominosè audirent Φαινομηρίδες, quæ *motu coxas retegerent*, & ἀνδρομανεῖς, quæ *in viros amore insano arderent* [s].

§ VII. *Romani* suas nunc *Spartanæ* licentiæ, nunc rigori *Attico* assuefaciebant fœminas. Imperante *Romulo* Matronis magnus apud Viros honor, ac Virginibus liberior vivendi potestas, ad raptas è finitimis Sabinis placandas, dabatur. In primo aditu domûs, qui locus *Atrium* dicebatur, sedebant fœminæ pariter ac virgines. In convivia ducebantur *uxores*, non item *innuptæ virgines*, quia ipsarum aures Veneris vocabulis imbui noluerunt [t]. *Commodum Imp.* convivia cum meretricibus instituisse recenset *Svetonius* [u]. Veruntamen *Numa Pompilius* [x] magnâ *Virgines* verecundiâ sepsit, curiositatem detraxit, sobrietatem docuit, silentium tenere assuefecit, vino prorsus interdixit, dicere ne de rebus quidem necessariis sine Viro permisit. *Cæsar Augustus* [y] Filiam & neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui aut agere quicquam, nisi propalam, & quod in diurnos referretur commentarios. Extraneorum cœtu adeò prohibuit, ut *L. Tucinio*, claro decoroque juveni scripserit quondam: *parum modestè fecisse Eum, quòd Filiam suam Bajas salutatum venisset* [z].

§. IIX. *Judæis* quoque adstrictam vivendi rationem injunxerunt

(r) *Teste Xenoph. in Repl. Laced. ab init. Conf. Plutarch. in Lycurgo.* (s) *Vid. Euripidis & Sophoclis versus apud Plutarchum in Numa citatos.* [t] *Quod ex Varrone & Mureto probat Jo. Guil. Stuckius Antiq. Conviv. lib. II. c. 1 p. 145.* [u] *in Commodo c. 14.* [x] *Teste Plutarcho in Numa.* (y) *Vid. Svetonius cap. 46.* [z] *Hunc locum elegantèr illustratum dedit Perquam Rev. Dn. D. Michael Hörnlein in Exercit. Hist. de Disciplina Domest. Imp. Cæs. Aug. Jenæ An. 1671.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0010

xerunt *leges divinitus latæ* [2a], qvibus illud *Philonis Judæi* (2b) adjungi meretur: Virgines μεσαύλιον penetralia, mulieres ἄυλιον aulam non egrediuntor. Sic etiam lib. II. Macc. b. [2c] καταλείσων *conclusarum virginum* expressa fit mentio. Hinc virgo ab Ebræis עלמה, καταλείσω, *abscondita* vocatur à rad. עלם, *abscondere, concludere.* Nonnunqvam tamen laboribus (2d), *sympositis* (2e), *convivüs* 2f, *nuptiis* (2g) interesse placuit licuitve.

§. IX. *Illyrii* [h] mulieres suas secum in convivium ducebant, iis propinabant, & ab iisdem ebrii jam facti domum abducebantur. Apud *Parthos* [2i] fœminæ non modò à conviviis arcebantur, sed omni prorsus virorum conspectu illis interdictum erat. *Persæ* [2k] non cum conjugibus, sed cum concubinis convivia inire, & ebrietati atqve tripudiis indulgere solebant, ut tamen in hospitalibus epulis uxores & filias adducerent. *Phaaces* l] cum suis uxoribus atqve filiabus potabant. *Priscorum Germanorum* [2m] uxores septâ pudicitiâ agebant, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. Qvænam hodiè apud nostrates cœterosqve populos obtineat Virginum cura, videmus, audimus, legimus. Intra publicæ honestatis & privatæ turpitudinis limites contineri nostrarum pudicitiam experimur, publicè enim nonnullæ videntur ingenùæ, sed privatim turpissima perpetrant, qvia nihil agendo malè agere discunt.

§. X. Sicuti autem nobis commercii nihil cum inertibus atqve perversis, ita nec illas hac vice veneramur impensè, qvæ domum ac culinam curant, easqve purgatas habent; qvæ ex serico, lanâ aut lino varia texere, filare, nere, acupingere & variis modis spartam suam ornare sciunt. Harum enim *artificia* sunt aulæa *opificia* vestes, *officia* lotiones (2n) Si qvæ fidibus canere, can-

(2a) *Levit. XIX. 9. Deut XXIII. 27. Conf. Syrac. cap. XXVI. 13.* (2b) *lib. de special. legibus* (2c) *cap. I. I. 29.* (2d) *Ruth. c. II. 7.* (2e) *Job. II. 13.* (2f) *Dan. V. 2.* [2g] *Job. II. 1.* [2h] *Athenæus lib. X* [2i] *Cælius lib. XXVIII. c. 5.* [2k] *Autore Plut. lib. 1. Sympos.* [2l] *Athen. lib. XII.* (2m) *Tacitus in de Moribus Germ. cap 19 §. 1.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0011

cantare, saltare appositâ verborum comitate se insinuare callet, illa oculis nostris non nisi ad ictum oculi placet, qvia multis imò omnibus placere didicit. *Virgines* atqve *Matronas* ingenio valentes, usu pollentes, eruditione claras eâ, qvâ par est, animi modestia amplectimur atqve exosculamur, qvæ pietatem & mores efformant, cœli donariis elucent; parentibus gratæ, maritis concordes, viduitatis observantes, liberis beneficæ, amicis officiosæ, egentibus utiles, omnibus commodæ dicuntur & reverà sunt.

§. XI. Hæ nobis contemplandæ & impræsentiarum compellandæ sunt pluribus, sive in *Græcorum* (20) *gynæceo* & thalamo, sive *Romanorum atrio* & *vestibulo* (21), sive *Aliarum gentium* aulis, scholis & qvibuscunqve cellis videri & salutari se patiantur. Nullam ergo loci & conditionis, opum & splendoris, ætatis & temporis differentiam sectaturi ipsum *Heroinarum* syllabum sine mora contexere aggredimur.

§. XII *Primâ* meritò *classe* locamus *Fœminas* in sacris paginis arte, donis, eruditione & virtuse illustres. *Initio* laudantur ibi qvàm plurimæ mulieres, *artis musicæ*, *psalterii*, *citharæ*, *tympaniq;* pulsandi peritissimæ, videlicet *Mirjam* [22] cum sequacibus, qvæ psallendo & canendo laudarunt assistentiam DEI bellicam; *Filia Jephthæ*, [23] qvæ harmonico χορικῷ excepit Victoris Patris adventum; *Mulieres Israeliticæ* [24], qvæ tympanis & sistris lusisse & cecinisse dicuntur. *Deinde* adducuntur

Va-

[22] *Sic operas fœminarum distribuit Joh. Valentinus Andreæ in Descriptione Reipl. Christianopolitanæ cap. 89 pag 190.* [20] *Erat in Græcis ædificiis conclavi aliud pro Viris, quod* ἀνδρωνῖτιδα; *aliud pro Fœminis, quod* γυναικωνῖτιδα *appellabant. Hujus pars erat* Θαλαμος, *quæ antiquissimis Scriptoribus non nisi* παρθενῶν *aut cella virginalis dicta. Vid. Homer. Iliad. IX. v. 408 seqq Odyss. lib. VIII. v. 438. seq. Theocrit. Eidyll. II. v. 48. Sed quo usu Latinis ista vox veniat docet Isid. Hisp. lib. XV. cap. III.* [p] *Differentiam Atrii atqve vestibuli accuratè evolvit Per Reverend Dn. D. Joh. Phil. Pfeiffer in de Curæ Virginum prior. §. VI.* [22] *Exod. XV, 20.* [23] *Judic. XI. 34.* [24] *1. Sam. XVIII. 7.*

Vates & *prophetissa*, qvalis iterum *Mirjam*, item *Debora* (2t), ut & *Anna* (2u) Phanuelis Filia. *Porrò Judices*, nempe *Debora* (2x) *Dehinc Regina*, utpote *Semiramis*, Assyriorum Dominatrix. *Regina Arabiæ* (2y) felicis, qvæ Scientiæ cupiditate impulsa ad *Salomonis* sapientiam explorandam procul venerat. *Esther* (2z), cujus pulchritudo & prudentia paria fecisse videntur. *Athalia* (3a), qvæ violentiâ & fraude regnum possidere cœpit. *Regina Candaces* (3b) in Insula Meroe, qvæ pios, ingenuos ac præpotentes Ministros aluisse legitur. Huc pertinet sapientissima illa *Thekoensis τεχνίτης* (3c), qvæ *Davidem Regem* interrogatione vicit, ænigmate docuit, exemplo Dei mitigavit. Neqve heic prætereundæ sunt *Abigail* (3d) & *Bathsheba* (3e), qvarum *illa* Virum suum liberavit ab ira Davidis, & post mortem Viri facta est Regina & uxor Davidis. *Altera* autem Salomonis mater Filio suo regnum prudenter impetravit. *Denique* inveniuntur fortissimæ pariter ac felicissimæ *Bellatrices*: Sic sola *Jael* (3f) prudenti stratagemate Sisseram fudit, qvem *Debora* & *Barack* gratis in fuga qværebant. *Judith* (3g) pro sua, qvâ erat, pietate & prudentiâ *Holofernis* temulenti truculentum caput feliciter succidit. *Johannes* (3h) egregiè laudat electam & à multis virtutibus commendatam, omnibusqve dilectam *Dominam*. Neqve hæc infima gratia est, qvæ Fœminis olim divinitus promissa atqve concessa fuit, qvòd vaticinari (3i) & Deo publicè in æde sacra servire (3k) potuerint. Omnis autem sacrarum fœminarum eruditio his absolvebatur capitibus: *Time Deum*, & *serva mandata Ejus* (3l).

§. XIV. Proximè abhinc SIBYLLARUM gloriam paucis repetendam & renovandam sumimus. *Sibyllæ* fuerunt fœminæ inter Ethnicos fatidicæ, qvæ, Nomine aliqvo singulariter inspirante, oracula reddebant consulentibus de imperiorum mutationibus, ut & de DEO vero, Christo, Anti-Christo, mundi creatione,

(2t) *Exod.XV,20.* (2u) *Jud.IV,4.* (2x) *Luc.II,36.* (2y) *I.Reg. X,1.* (2z) *Esth c.II.* (3a) *II.Reg.XI,3.* (3b) *Actor.VIII,27.* (3c) *II.Sam.XIV,2.* (3d) *I.Sam. XXV. 33. seqq.* (3e) *I.Reg.I,11. seqq.* (3f) *Jud.c.IV,18.19.* (3g) *Judith.c.XIII,4.seqq.* (3h) *II.Ep.c.I,1.* (3i) *Joël II,28.* (3k) *Luc.II,37.* (3l) *Ecclesiast.c.XII,13.*

hominis lapsu, diluvio, nativitate, miraculis, morte & resurrectione Christi, de fine seculi &c. De *Sibyllis* autem sine inani verborum contentione statuimus, qvod nominis sui ortum non nisi Græciæ debeant. Σίβυλλα dicitur qvasi Θεοβόλη, nam θ pro σ *Jonicè* alternat, βύλλα pro βολὴ qvoqve juxta *Æolicam* atqve *Doricam* dialectum hìc adhibetur. Hinc Σίβυλλα est *Dei consiliaria* (3m). Neqve est nomen *doctrinæ*, sed *personæ*, idqve non uni vel duabus *proprium*, sed reliqvis fatidicis *commune*. Exstitisse autem *Sibyllas* nos dubitare non sinit freqvens illa & ingenua Earundem apud probatissimos Autores mentio, qvibus fides temerè deneganda non est. *Socini* argumenta, qvibus Sibyllas extitisse neget, & carmina atqve folia à Christianis ad gentes lucrifaciendos conficta affirmet, egregiè diluit *Desideratissimus noster* B. CALOVIUS (3n). *Numerum Sibyllarum* specialiter dictarum non facimus cum *Plinio* & *Castellione*, qvi *unam* modò, sed longævam à diluvio ad Tarqvinianorum tempora per 1770. annos superstitem somniant. Neqve cum *Martiano Capella*, qvi duas: *Eriphilam* & *Symmacchiam*; Neqve cum *Phavorino Varino* & *Phileta Ephesio*, qvi tres: *Apollinis sororem*, *Erythræam* & *Sardianam*; Neqve cum *Æliano*, qvi qvatuor: *Erythræam*, *Samiam*. *Ægyptiam* & *Sardianam*; Neqve cum *Clemente Alexandrino*, qvi novem numerat, scilicet: *Samiam*, *Colophoniam*, *Cumæam*, *Erythræam*, *Phytonem*, *Taraxandram*, *Macedoniam*, *Thessalicam* & *Thespotriam*; Sed cum *Varrone*, *Lactantio* (30), *B. Schmidio*, *B. Calovio*, Maximè Reverendo DN. GEORGIO GRENIO (3p), Clarissimo DN. M. JAC. REICHMANNO (3q) per omnia facimus, qvi non nisi *decem* numerant & numerandas probant.

§. XV. Hac autem serie se excipiunt, & per suas vaticinandi artes nobis recensèri debent:

I. PERSICA, ailàs *Babylonica*, *Chaldæa*, *Ægyptia*, suo nomine *Sambethe* dicta, qvæ de *Alexandro Macedone*, de *Domino Christo*

(3m) *Hanc vocis originem tradit Isidorus lib. VIII. Etymol. c. 8. Conf. B. Schmidium in Tract. de Sibyll. Orat. 1. circa init.* (3n) *In Instit. Theol. pag. 443.* (30) *lib. 1. Div. Instit. cap. 6. p. m. 23. seqq.* (3p) *Diss. Histor. prior de Sibyll. Cap. II. §. 11.* (3q) *Diss. de Sibyll. §. VI.*

sto & Ejus adventu plurima prædixisse, *Deum* qvoqve ob *Salomonis* sapientiam celebrasse, *libros* 24. & *annos* amplius 700. vixisse dicitur.

II. LIBYSSA vel *Libyca*, proprio nomine *Elissa* appellata. Hæc multa de *exitio gentium* propter exitiosa scelera adversus DEum commissa divinasse legitur. Vaticinata pariter fore, ut *Christus* Dei filius multa miracula editurus nasceretur, pateretur. *Mundi* conflagrationem, mortuorum resurrectionem, æternam vitam piis præparatam verè indixit.

III. DELPHICA sive *Thessalica*, cognomine *Daphne* aut *Themis* aut *Atemis* vocata. Constans sententia est Hanc divinasse ad Asiæ atqve Europæ perniciem Spartæ educari *Helenam*, propter qvam *Ilium* à Græcis pessum iret. *Alstedius* Ipsi tribuit vaticinium de *Virginis partu*. *S. Augustinus* (3r) in hujus Sibyllæ libris se reperisse scribit: *Nascetur Prophetu ex Virgine, absqve humanâ corruptione.*

IV. CIMMERIA, qvæ *Lactantio* & *Hieronymo Wolffio* (3s) *Cumæa* etiam dicitur, sed improvidè. *Suidas* legit ἐν κιμμερίᾳ, qvod *Wolffius* vertit in Cumis, vel qvia *Cimmeria* lacus Italiæ, aut *Cimmerium* urbs Campaniæ oppido *Cumis* vicina, vel qvia κύμη & κιμμερία facilè permutari potuerunt (3t). *Apollo* huic privilegium vitæ ex singulari amore dedisse fingitur.

V. ERYTHRÆA, aliis *Sicula*, *Sardana*, *Gergethia*, *Rhodia*, *Lybica*, *Lucana*, *Samia*; sed proprio nomine *Eryphila* dicta. Hæc illa est, qvæ ex mente *Castellionis* atqve *Hornii* (3u), *Noæ dilecta νυμφη* aut *nurus fuisse* & diluvii aqvas effugisse putatur. Sed incredibilem hanc antiqvitatem refellunt *B. Schmidius* atqve *Celeberrimus* DN. GRENIUS (3w) dexterrimè. *Lactantius* tamen hanc celebriorem & præ cæteris nobiliorem semper fuisse habitam testatur. Falluntur *Autores* (3x), qvi Erythrææ *aut* vaticinia de diluvio, turri Babylonica, confusione lingvarum, *aut Græcæ* lingvæ origines, *aut* Japheti conjugium tribuunt. Nam

(3r) *lib. XVIII. de C. D. cap. 21.* (3s) *Bibliothecario Augustanæ Reipl. Interpreti Suidæ ad voc.* κιμμερίας. (3t) *Conf. Lilium Gregor. Gyraldum in Poët. Hist. Dialect. 2.* (3u) *lib. II. Hist. Phil. cap. I.* (3w) *l. c. cap. III. §. VI.* (3x) *Orat. III. de Sibyll. libb.*

præter Scripturæ S. & omnis historiæ literariæ consensum hæc adducuntur.

VI. SAMIA, aliàs *Samonea* vel *Samonetes*, suo cognomine *Pytho* obexcellentem doctrinam, aut *Phamonoë* dicta. *Augustinus* (3y) atqve *Ælianus* (3z) in eo conveniunt, qvod *Numâ* regnante Romæ, & apud Ebræos sub initium regni *Manasses* hæc Sibylla floruerit. Huic *Phemonoæ* vulgò tribuitur inventio hexametri carminis, qvasi in senectute à juvene in humeris aliqvando justo concitatius gestata fuerit, qvod cùm præcipiti verbo, qvod ἔμμετρον erat, carperet, placuit utriqve numerus, & similia comminiscendi ansam dedit. Hanc omnium maximè crebris exhortationibus avertisse gentes à Dæmonum cultu & idolorum latriâ testantur versus, qvos apud *Plutarchum* (4a) vide.

VII. CUMANA, qvæ plerisqve *Demophile*, nonnullis *Amalthea*, Suidæ *Hierophilis*, Eusebio *Herophile* cognominatur. Antrum, in qvo vaticinata dicitur, adhuc hodie per *Italiam* peregrinantibus ostenditur (*). Illud ingressus *Hannibal Roselus* (4b), *Jesuita* O.F.F. minorum, regularis observantiæ *Pater*, Theol. & Phil. *Prof. ad S. Bernhard.* Cracoviæ. *Gyraldus* qvoqve in illud non sine horrore se descendisse fatetur. Eleganter hoc sacellum descripsit *Justinus Martyr* (4c), qvem vide. Hæc illa fuisse creditur, qvæ *Tarqvinio* (utrum *Prisco*, an *Superbo* lis est) novem libros obtulit, pro illis 3000. philippeos postulavit, &, sex combustis, pro ultimis tribus eandem nihilominus summam pertinaciter obtinuit, eoqve sic oracula de *Romanorum fortunâ* venalia exposuit (4d). De Christi baptismo in Jordane, Voce Patris, Christi miraculis, Resurrectione, Fine mundi & aliis multa cecinisse legitur.

IIX. HELLESPONTICA, Gyraldo *Marpesia*, Pidegonti (4e) *Gergithia* nuncupata. Cujus appellationis causam reddit

(3y) *lib. XVIII. cap. 23.* (3z) *lib. XII. Var. Hist. c. 35.* (4a) *f. 249.* (4b) *Comment. ad Mercur. Trismeg. in lib. V. Comment. 11. pag. 148.* (4c) *in lib. admonitorio Gentium, ex qvo illum locum citavit Dn. Grenius Disp. poster. de Sibyll. cap. 1. §. 4.* (4d) *Conf. Dionys. Halicarnassæus lib. 4. Antiqvit. cap. 3. Agellius lib. 1. cap. 9. Plinius lib. 13. cap. 13.* (4e) *lib. 1. Olympiadum. Add. Stephanus de Urbibus.* (*) *Vid. Zeileri Itin. Ital. cap. 7. f. 173.*

dit *Suidas*, qvasi nata sit in vico *Marpesso*, aut *Marmisso* juxta oppidulum *Gergithium* in agro Trojano (4f) ad *Hellespontum*. Hâc de causâ sepulchrum Ejus in *Apollinis Gergithii* templo exstructum monstratur. *Carmina Illius* de æterno DEI filio, adventu, passione, eclipsi in morte Servatoris, fine mundi, judicio extremo &c. apud *Burchardum* (4g) videri poterunt. Multa sacra mysteria per obscura ænigmata hominibus dedit, unde *Gergethii* cives *Illam* cum *Sphinge* in numismatibus sculpere consveverunt. Vixisse dicitur tempore *Solonis* & *Cyri* Monarchæ Persarum.

IX. PHRYGIA, qvam proprio nomine *Sibyllam* fuisse appellatam refert *Cœlius Rhodiginus* (4h) *Dardano* ex *Nesone* uxore creditur *Hæc* esse nata, qvæ divino & fatidico Spiritu afflata populis sciscitantibus responsa de futuris dedit. Summo honore in Asia culta fuit propter communicationem, qvam cum *Apolline*, admiranda oracula inspirante, habere putabatur. *Anticyris*, non *Galatiæ* sed *Phrygiæ* urbe, pleraqve responsa dixit, hinc natum verbum, *naviga anticyras*. Apud *Burchardum* (4i) carmina Ipsius reperies de Christi nativitate, Maria Virgine, Angelo conceptionis nuntio, de Passione, descensione ad inferos ac resurrectione, die tertio factâ.

X. TIBURTINA (4k) cognomine *Albunea*. Hæc *Tiburi* ad *Anienem* fluvium, aliàs *Albulam* dictum, sua reddidit oracula, & propter certissima præsagia ab incolis *Anienis* pro patriâ DEA culta fuit. De Romano fastu & exitio, viâ vitæ & mortis, Christo Rege in Bethlehem nascituro & de piorum felicitate divinavit. *Augusto Cæsari* è cœlo Virginis Filium, Regem Regum & Dominum dominantium ostendisse eoqve Imperatoris arrogantiam retudisse traditur (4l).

§. XVI. Atqve hic est numerus decantatarum X. *Sibyllarum*. His utut plures accenseri possent, videlicet *Colophonia*, *Elyssa*, *Epirotica* & *Thessalica* (4m) itemqve *Nicaula*, Arabiæ Regina

(4f) *V. Lactantius lib.1. de falsa relig. cap.6. pag.24.* (4g) *fol. 265.* (4h) *lib.XIV. c.1.* (4i) *fol.269.* (4k) *Turnebus lib.XI. cap.26. lib.III. c.50. putat etiam Tiburnam posse dici.* (4l) *V. Gyraldus dial. 2. Hist Poet.* (4m) *Quas recenset Ludov. Vives in Comment. super Augustin. lib.XIIII. de C.D. cap.13.*

gina(4n); Non tamen qvælibet fœminæ rerum abstrusarum peritæ *Sibyllarum* nomine venire debent, sed qvæ simul *fatidicos raptus* atqve *enthusiasmos* sustinuisse leguntur. Olim *octo* numerata sunt integra *volumina Sibyllina*, nunc non nisi *fragmenta* atqve excerpta suppetunt. Olim in sacrario templi Jovis Capitolino hi libri arcæ lapideæ inclusi, Sacerdotum fidei commissi, à *duobus viris* custoditi sanctè asservabantur. Postea augebatur custodum numerus, ut *decem*, inde ut *qvindecim* præessent Viri usqve ad *Syllana* tempora. *B. Schmidius* scripta Sibyllina duum generum facit, *alia* fata Romana respexerunt, *alia* non item; *Illa* magni, hæc parvi æstimata fuisse probat. His multa accessisse supposititia, imperfecta & vitiosa sub nomine *Sibyllarum* carmina nemonon largietur facilè. Acceperunt autem *Sibyllæ* hæc sua mysteria & vaticinia *partim* ab Ebræis per traditionem (4o), *partim* ab Ipso Deo, per extraordinarium afflatum reprobis etiam qvandoqve concessum (4p), *partim* à Diabolo per suggestionem, ut Prophetarum doctrinam eluderet, suisqve oraculis fidem & auctoritatem conciliaret (4q).

XVII. His subnecti merentur *Tres* famâ & eruditione præstantissimæ CORINNÆ, qvarum *prima* THEBANA seu *Tanagræa*, *Archelodori* & *Procratiæ* filia, *Myrtidis* discipula, qvæ Lyricorum Principem *Pindarum* (4r) qvinqvies vicisse, & Epigrammatum 50. libros exarasse fertur. (4s) *Secunda* fuit THESPIA, veterum

(4n) *De qva I. Reg. X. 1. seqq. Conf. Josephus lib. IIX. Antiq. Jud. cap. VI.* (4o) *Sic Pythagoras atqve Plato Judæis multa accepta referunt. Vid. Just. Martyrem in Paræn. ad Gentiles. Clem. Alexandrinum in lib. stromatum. Augustinum lib VIII. de C.D cap II. B. Calovium in Instit. Theol. pag. 445.* (4p) *Exemplo nobis sunt Bileamus & Caiphas in sacris. Addatur Augustinus lib. XIIX. de C.D. c. 47.* (4q) *Vid. Augustinus lib. XIII. contra Faustum cap. 13.* (4r) *Qvomodo id à qvibusdam excusetur aut mitigetur, vide apud Joh. Jac. Hoffmannum in Lexic. Univers. pag. 485.* (4s) *De hac fortassis Sext. Aurel. Propertius lib. II. Elegia III. p m. 196. canit. Conf. Rhodiam Corinnam ex Insula Telia oriundam, qvæ Platonis temporibus vixisse fertur. Cujus poëmata Pindaricis majora, Homericis æqvalia habita sunt, sed XX. ætatis annum vix.*

rum qvoqve monumentis multùm celebrata. *Tertia Ovidii* temporibus floruit, cui etiam acceptisſima fuit. Utrum *Auguſti Julia?* de qva *Martialis: Norat Naſonem ſola Corinna ſuum*; neſcio.

§. XIIX. Qvod ſi *Poetarum* figmentis & *Gentilium* ſomniis noſtram virginem *Virginum* hiſtoriam corrumpere liceret, prolixam nunc DEARUM, MUSARUM atqve GRATIARUM ſeriem contexere poſſemus. Qvem enim latet ingenioſa *Minerva*, qvæ omnes ferme artes inveniſſe creditur (4t). Qvem fugit Sapientiæ præfecta *Pallas* (4u)? Muſicis artibus delectata *Diana* (w). Prudentiſſima *Penepole* (4x)? Tympanis & tibiis culta *Rhea* (4y)? Pudicisſima *Veſta* (4z)? Mortuorum Regina *Proſerpina* (5a)? Qvæ ſi unqvam repertæ ſunt, memoriam immortalis virtutis reliqverunt; ſi nunqvam, perfectarum fœminarum ideam expreſſerunt.

§. XIX. MUSARRM nomina (*), numerus, officium atqve gloria inter omnes conſtat. Sic

CLIO de ſe ipſa: *Sacri prima chori Muſarum prævia CLIO,*
Addo ſuam rebus temporibuſq; fidem.

EUTERPE: *Me chorus EUTERPEN, qvia ſum jucunda, vocavit,*
Et mea plus aliis fiſtula dulcè canit.

THALIA: *Qvod me ceu viridi ſpatiantem cernis in horto.*
Floribus æternis apta THALIA fui.

MELPOMENE: *MELPOMENE reliqvas ſupero dulcedine cantus,*
Sunt qvi me magicis moribus eſſe putant.

TERPSICHORE: *TERPSICHORE cithara pulſo, ducoq; choreas,*
Hinc me Sirenes progenuiſſe ferunt.

ERA-

vix attigit. Fortè cum Thebana eadem Vid. B. Laurembergium in Acerra Phil. Cent. IV. Hiſt. 71. pag. 672.

(4t) Conf. Natal. Comitem in Mytholog lib. IV. pag. 301. (4u) Vid. Idem c. l. pag. 307. (4w) l. c. lib. III. pag. 271. (4x) l. c. lib. VIII. p. 925. (4y) lib. IX. c. V. pag. 955. (4z) Vid. Anonymi Obſervat. ad Mytholog. Nat. Comitis ſub tit. Veſtæ prope finem. (5a) Nat. Comes in Mythol. lib. III cap. XVI. pag. 245. (*) Vid. Lilii Gregor. Gyraldi, de Muſis ſyntagma pag. 104. ſeqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0019

ERATO: *Quamvis castra ERATO castis aspiro Poëtis,*
In sua vota tamen me vocat omnis amans.
POLYMNIA: *Aucupor innumeris, POLYMNIA, cantibus aures,*
Æternumq; canunt organa nostra melos.
URANIA: *Uranie cœleste genus cœlestia canto,*
Esse DEOS facio, qui mea regna colunt.
CALLIOPE: *Vox bona CALLIOPE Musarum maxima dicor,*
Singula sunt Aliis, omnia tota mihi.

Hæ illæ sunt *Musæ*, qvæ non modò Poëticam facultatem, sed omnia omninò scriptionum disciplinarumq; genera invenisse dicuntur *Plutarcho* (5b) atqve *Callimacho*. *Theocritus* (5c) *Musas* appellat magnum in adversitatibus solatium, & non leve à voluptate ad honorem remedium. *Munus* earundem palmarium fuit: Militum animos per *Cantorum* atq; *Poëtarum* carmina ad arma inflammare, viros bonos in calamitatibus consolari, Heroum atq; Victorum præclara facinora atqve res gestas decantare, ut Morum imitatione cœteri mortales ad virtutem incitarentur. Præcipuè tamen *Musarum* voce *Poësis* & *Musica* designabantur, his enim artibus primò omnium imbuebantur pueri. Hinc ἄμουσος *imperitus Musicæ* apud *Vitruvium*, & ἀμουσία pro *imperitiâ canendi Varroni* dicitur (5d).

§. XX. Nunc grata GRATIARUM facies nos allicit, qvæ *Græcis* χάριτες dictæ, & *Hesiodo* (5e) AGLAIA, EUPHROSYNE atqve THALIA; *Aliis* autem *Pasithea*, *Euphrosyne* & *Ægialis* nominantur. Non verò duas: *Clitan* & *Phaenam*, vel *Auxo* & *Hegemonem*; sed vulgò tres fuisse numeratas testatur hoc versu *Meleager*: Τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκοπάρθενοι ὧραι. Dicuntur *Gratiæ Jovis* & *Eurynomes Filiæ*, qvòd agrorum fertilitatem frugumqve abundantiam curent. Hæc verò agrorum ubertas non nisi pacis tempore, ubi leges & æqvitas dominantur, usuvenit, tunc agri rident, domus lætantur, templa immortalis Dei jucunda sunt, omnibusqve rebus ornamentum accedit. Inde factum

(5b) *Sympos. lib. VIII. cap. 14.* (5c) *in Cyclope, Didyllio XI. v. 1. 2. 3. p. m. 76.* (5d) *Qvod accuratè annotat Joh. Jac. Hoffmannus Græc. Lingv. in Acad. Basil. P. P. in Lexic. Univers. sub voc. Musa. pag. 1060.* (5e) *in Theogonia, non procul à fine, p. m. 126. 127.*

factum, qvod *tres* conjunctæ *Sorores*, qvia *triplex* prudentis agriculturæ utilitas, qvæ ex cultu *agrorum, arborum,* & *animalium* provenit. Qvare illa nomina meritò data sunt *Gratiis*; Est enim Θαλεια, amœna arborum *postulatio*; Αγλαΐη, *splendor*; Ευφροσύνη, *lætitia*, qvâ ex agrorum cultu & ubertate Dominus efficitur. Qvomodo *Pictores* atqve *Poëtæ* in describendis Gratiis se exerceant, id *B. Laurembergius* (5f) refert.

XXI. Reliqvas olim per *Græciam* celebratas & eruditione claras Mulieres jam speciatim *juxta alphabeti latini seriem* producemus, ne in ætatis & temporum ordinem hâc rerum caligine impingamus nimiopere. Agmen itaqve ducat

AGALLIS, qvæ in insula maris Jonii, non procul ab Epiro, *Corcyra* videlicet, nunc *Corfu* dictâ, floruit, & in arte Grammaticâ potissimùm excelluit. *Coelius Rhodiginus* (5g) *Meursius* (5h) atqve *Vossius* (5i) Huic *pilæ inventionem* à nonnullis tribui dicunt.

ARETE *Aristippi, Socratis* discipuli, Filia (5k). Hæc eò doctrinæ conscendisse fertur, ut tota Græcia animam *Socratis* in illam migrasse opinaretur. Hausit hanc inexhaustam eruditionem ab ipso Parente *Aristippo*, inclyto Athenienſium Philosopho, qvi *Cyrenaicæ* sectæ addictus suam docuit, *ut id, qvod nimium esset, contemneret atq; fugeret* (5l). Neq; hæc scivit, ut sciret, sed ut doceret. Docuit in sylvis & Academiis Atticis per XXV. annos Naturalem Moralemq; Philosophiam CX. discipulos ἀπαιδεύτους καὶ πεπαιδευμένους (5m). Patre defuncto scholam servavit, & summum bonum in eâ voluptate, qvæ sensum moveret, posuit. Neqve ore tantùm, sed scriptis publico bono profuit, reliqvit enim XL. circiter libros. Demortuæ Anno ætatis 77. virtutibus atqve meritis elegantissimo posteà epitaphio parentarunt *Athenienses: Nobilis hic Arete dormit &c.*

ASPASIA, *Axiochi* (5n) aut *Pythagoræ* (5o) Filia, Mileto oriunda

C

(5f) *Accerra Phil. Cent. 1. Hist. 73. p. 156.* (5g) *lib. VIII. c. 1.* (5h) *de ludis Gr. p. 5.* (5i) *de Philol. c. 2.* (5k) *Aut juxta Nonnullos Mater; hinc Aristippus μητρὸδίδ. κτ© audit. V. Strab. in Geogr. post Laërtium in Aristipp. Ad de Clem. Alexandr. lib. IV. Strom p. 381.* (5l) *Conf. Laërtium lib. II. Ant. Cevarum lib. II. Horol. Princip. c 33.* (5m) *V. Zwingerus in Theatro suo p. 3768.* (5n) *Athenæus lib. V.* (5o) *Lauremb. A. Phil. Cent. IV. Hist. 71. p. 673.*

unda. Capta Hæc ab Athenienſibus *Pericli* tandem, qvem docuerat antè, nupſit, ſed infauſto matrimonio, utpote qvod duobus bellis, *Peloponneſiaco* & *Samio* cauſam dedit. Tanti *Cyrus* (5p) Hanc fecit, ut pellicum charisſimam, anteà *Milto* dictam, ab Illa *Aſpaſiam* vocaverit. Acutisſima Sophiſtria & Rhetorices Magiſtra eloqventisſima fuit, ut *Socrates* ipſe *Aſpaſiæ* Scholam intrare non erubuerit.

CASSANDRA *Priami* & *Hecubæ* filia, vaticinio & doctrinâ adeò illuſtris habita eſt, ut apud Lacedæmones in Ipſius honorem templum fuerit erectum. Vaticinandi donum dolo accepiſſe fingitur, cùm enim ob formæ venuſtatem ab *Apolline* amaretur, juſſa qvamcunqve vellet concubitûs mercedem petere, *vaticinandi peritiam* ſibi dari poſtulavit, qvam cùm credulus amator ei concesſiſſet, neqve Illa promisſis ſtaret, indignatus Deus, qvoniam munus datum eripere non potuerat, effecit, ut vaticiniis ejus fides nulla haberetur. Qvare cùm *Eqvi Trojani* inſidias detexiſſet, eumqve mœnibus minimè recipiendum clamaret, nullum tamen invenit, qvi verbis ejus fidem adhibendam putaret (5q).

CHARIXENA inſignis *Poëtria* & multorum Carminum inventrix laudatur apud *Ariſtophanem* Comicum.

CLEOBULINA *Cleobuli* Sapientis ex VII. Sapientibus Græcis Filia, ingenio, judicio, animi magnitudine inclyta, dicendo & philoſophando potentisſima. Hujus autoritate ſummi ſæpe Viri ſua probarunt placita. Scripſit hexametris verſibus ænigmata, qvorum non niſi unum adhuc ſupereſſe deprehendimus:

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα (5r) διαπρύσιοι εἶδος ἔχουσαι,

Αἱ

(5p) *Xenophon lib. I. de Exped. Cyri ſub fin.* (5q) *Vid. Virgilius lib. II. Æneid. v. 146. ſeq.* (5r) *Pro his verbis:* Παῖδες τριήκοντα *aut cum Stobæo lege* Κῦρῳ ἑξήκοντα; *aut cum Dn. Hoffmanno in Lex. Univerſ. pag. 453. corrige* Παῖδες δὶς τριάκοντα. *Nam, ut taceam primam in* τριήκοντα *eſſe brevem, dici non poteſt ex 30. diebus menſis alios eſſe albos, alios nigros. Sunt enim omnes ſimul albi ac nigri, aut ſimul nigri & albi; ſed ex 60. filiabus menſis aliæ ſunt albæ ſc. 30. dies artificiales, aliæ nigræ videlicet 30. noctes.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0022

Αἱ μὲν λευκαί εἰσιν ἰδεῖν, αἱ δ' ἄυτε μέλαιναι·
Ἀθάνατοι δέτ' ἔασι καὶ ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

H. e. *Est unus genitor: nati bona pignora bis sex:*
Triginta cujus natæ, sed dispare formâ;
Hæ niveæ aspectu, nigræq; coloribus illæ,
Atque immortales omnes moriuntur ad unam.

CLEOPATRA, Ægypti *Regina*, Ptolomæi Auletæ Filia, Soror & Uxor Ptolomæi Dionysii ultimi. Hæc pulchritudine, magnificentiâ & plurium lingvarum peritiâ omnes sui ævi superavit. Legatos *Arabes*, *Ægyptios*, *Ebræos*, *Syros*, *Medos* aliosqve audivit Ipsa, & singulis in illa qvâ allocuti fuerant, lingvâ peritè respondit. Multos qvoqve de ungventis pretiosis & Chymicis rebus libros græco idiomate ab Ipsâ elaboratos laudat *Alb Magnus* (55).

DAMA, qvam *Laërtius* Damonem, *Plutarchus* Polycratam vocant, fuit Pythagoræ filia, eruditissima puella & ob eloqventiæ felicitatem insigni honore mactata. Huic Pater non solùm omnia Philosophiæ arcana recluſit, verùm etiam scripta sua moriturus hâc lege commendavit, ne unqvam divulgaret. Qvod Illa religiosè servavit, omnibus mundi bonis, etiam in extrema paupertate, paternæ voluntati postpositis (5t). Ipsâ interim improba Philosophiæ sectatrix ingenium atq; doctrinam in exponendis paternis sententiarum involucris sedulò exercuit (5u).

DAMOPHILA, Græca è Lesbo, mulier, Pamphili uxor, Poetriæ Sapphûs socia. Multa conscripsit poemata, qvæ vel *amores* continent, vel *Dianæ laudes* evehunt (5w).

DIOTIME, mulier Philosophiæ sectatrix adeò in Philosophicis profecit, ut illam appellare *Magistram*, & in prælegendo *audire* non dubitaverit *Socrates*.

EUDOXIA, *Vossio* Eudocia dicta, Leontii Sophistæ Atheniensis filia, qvam in humanioribus, Philosophiâ & Mathematicis ita instruxerat, ut paternâ succesione dignam putaret. Hinc de fratribus testamentum rescindentibus conqvesta apud *Pulche-*

(55) Qvem idcirco citat Laurembergius l.c. pag. 672. (5t) Diog. Laërtius in Pythagora, lib. VII. (5u) Cœlius Rhodig. lib. IV. c. 1. (5w) Philostr. in vita Apollonii.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0023

riam, cui ita placuit, ut illam *Athenaidis* nomine in *Eudoxiam* mutato, primùm Filiæ loco haberet, deinde Fratri *Theodosio Jun.* deponderet. Sed intempestiva Zelotypia istam violavit copulam. Insigne poëma de *Bello Persico* hanc composuisse (5x) & Homericos centones de *Christo* scripsisse nonnulli (5y) referunt. Anno C. 460. ætat. 67. vivere desit.

ERINNA, *Teja* aut *Telia* Poëtria, scripsit doricâ, lingvâ elegans poëma 300. versibus absolutum, itemqve alia epigrammata. Ejus carmina ad *Homericam* accessisse majestatem ferunt. *Sapphûs* amicam atqve coævam fuisse constat ex *Tatiano* atqve *Suida*, Illamqve ingenio superasse tradit *Eusebius* (5z). Citò nimis, annos 19. nata, ad plures abiit (5z).

HIPPARCHIA, *Cratetis* uxor doctissima, qvæ Philosophicis disciplinis valdè excelluit. Dicendi charactere *Platonem* imitata tragœdias qvasdam composuit (6a).

HYPATHIA, *Alexandrina* fœmina, *Theonis* Geometræ Filia, *Isidori* Philosophi uxor. Imperante *Arcadio* varia disciplinarum genera confluentibus undiqve discipulis (6b) *Alexandriæ* docuit. Ex qvo plurima ediderat scripta, in populari seditione occisa Anno C. 415. exspiravit (6c).

ISTRINA, Scytharum *Regina*, Aripithis uxor, Sylem filium Græcam lingvam literasqve docuisse tradit *Herodotus* (6d).

LASTHENIA, nobilis mulier, qvæ unà cum *Axiothea* Phliasiâ *Platone* Præceptore usa, ornatuqve interim virili auditorium Ejus est ingressa (6e).

LEONTIUM, Græca adolescentula Philosophicas disciplinas adeò sectata est, ut scito atqve Attico sermone in & contra *Theophrastum* magnâ sui nominis laude scribere ausa sit (6f).

MÆRO

(5x) *Qvod ex Evagrio, Socrate Nicephoro atq; Cyrillo probat Hoffmannus l.c. p.619.* (5y) *V. Vossius de Poëtis Gr. p.78.* (5z) *in Chronicis.* (5z) *Conf. Propertius lib. II. Eleg. XV. p.210.* (6a) *Vid. Laërtius lib. VI* (6b) *Inter qvos Synesius posteà Episcopus fuerat.* (6c) *Vid. Socrates Hist. Eccles. lib. VII, c.15. Niceph. Callistus lib. XIV. c.16.* (6d) *in Melpom.* (6e) *V. Laërtius lib. III. in Platon. & lib. IV. in Speusippo.* (6f) *Cicero hanc meretriculam vocat lib. I. de Nat. Deor. p.289. ex edit. Lambini.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0024

MÆRO similiter celebris est, qvod hymnum in *Neptunum* condidit (6g).

MICHALE aut Mycale Centaurea mulier, qvam Thessalas remedium amoris docuisse ait *Seneca*. Sæpe etiam reluctantis lunæ cornua canendo deduxisse canit *Ovidius* (6h).

MUSCA fuit Poëtria *Lyrica*, qvam epigrammata atqve odas conscripsisse notat *Cæl. Rodiginus* (6i).

NICOSTRATA, *Arcadica* vates, *Evandri* mater, cum qvo ex Arcadia in Italiam appulsa, benignè à *Fauno* Rege 60. annis ante Trojam captam A.M. 2810. excepta est. A *carminibus*, qvibus Phœbi oracula imitari volebat, *Carmenta* s. *Carmentis* latinè dicta est. Inde *carmentalia festa*, qvæ singulis annis in *Carmentæ* honorem à matribus-familias 18. Cal. Feb. celebrabantur, in qvibus scorteum aut suâ morte peremptum attulisse erat piaculum (6k).

PRAXILLA, *Poëtria* & scholiorum auctor, qvæ nonnulla cantica παροίνια inter pocula recitari solita scripsit (6l). Fuit iterum alia PRAXILLA, *Sicyonia* Poëtria, qvæ inter IX. Poëtrias Lyricas in suis cantionibus *Adonidem* inducit ab *inferis* interrogatum: *Qvid apud superos pulcherrimum reliqveris?* respondere: *Solem, cucumeres, mala.* Qvod cùm absurdum videretur cucumeres atqve mala cum Sole composuisse, fluxit inde proverbium: *Stupidior Praxillæ Adonide.* Supersunt versus *Praxillæ* ad *Calaim* missi apud *Eusebium* (6m).

SAPPHO *Lesbia*, insignis Poëtria. Maritum habuit *Cercylam*, ditissimum ex Andro Virum, ex qvo filiam *Clio* dictam suscepit. *Invenisse Eam plectrum*; & IX. lyricorum libros, epigrammata, elegias, jambos & monodias scripsisse, carminiqve *Sapphico* ortum & nomen dedisse tradit antiqvitas. *Plutarchus* magnos ipsius, ob carminum, qvæ pangebat, elegantiam, spiritus demirari haut potest. Ex carminibus nihil nobis superest præ-

(6g) *V. G. Mart. à Baldhoven Catalogum doctarum Virg. Parthenicæ annexum* (6h) *lib. XII. Metamorph.* (6i) *lib. IIX. cap. 1.* (6k) *vid. lib. I. Fast. Alex. ab Alex. lib. XVI. c. 8.* (6l) *Sicuti refert Scholiorum Autor in Aristophanis crabrones p. 519.* (6m) *in Chronicis. Addatur Athenæus lib. XIII.*

præter *Hymnum ad Venerem*, & *odam 16. versuum* ad puellam (6n), qvæ Ipsi in deliciis erat. De cœtero magnificè de seipsâ sensisse vel ex illo carmine (6o) patet, qvod ad *divitem qvendam* scripsisse perhibetur:

Te simul herbum rapiet, jacebis,
Nec suo qvisqvam celebrabit ore:
Particeps non es qvoniam rosarum
Pieriarum.

Utrum una, an duæ ejusdem nominis fuerint? Eruditis nondum expeditum est. *Mithyleneam* alteram dicunt, de qva Musarum Matrem *Mnemosynen* cum stupore pronuntiasse ajunt: μὴ δεκάταν μοῦσαν ἔχωσι βροτοὶ, *num decimam musam mortales habent?* Floruit *Lesbia* temporibus *Alcæi*, *Stesichori* atqve *Pittaci*, Teste *Suida* atqve *Eusebio*.

SOSIPATRA, *Ædesii* Sophistæ uxor, vates è *Libya* oriunda, mulier variis disciplinis cumulatissima, qvæ propterea credita est à Numinibus qvibusdam fuisse educata (6p).

TELESILLA, (6q) qvam in Poëtica illustrem celebrat *Pausanias*. Huic, qvia, *Cleomene* ad expugnationem urbis ruente, mulieres armavit vimqve hostis depulit, apud *Argos* ante Veneris templum statua fuit posita atqve condecorata (6r).

THARGELLA, nobilis fœmina, cui sola Philosophia placuit, amplamqve famam peperit (6s).

THEMISTE. Hæc illa est, de qva *Lactantius* (6t) *ait* Philosophos nullas unqvam mulieres philosophari docuisse præter unam ex omni memoriâ *Themisten*. Sed qvænam hæc & cujas illa fuerit, non docet. Fortassis cum THEMISTONE coincidit, ad qvam ceu *Philosophiæ Epicureæ* deditam *Epicurum* epistolas scripsisse testatur *Laërtius* (6u).

THEANO, mulier apud *Locros* in Lyricis præcelluit (6w).

Sed

(6n) *Qvæ duo à Dionys. Halicarnassæo & Rhetore Longino ab interitu vindicata esse tradit Dn. J. J. Hoffmannus Lex. Univers. Tom. alt. p. 305.* (6o) *Qvod habet Plutarchus in de Conjugio.* (6p) *Eunapius apud Volat.* (6q) *Hanc Fulgosus Theleſellidem vocat* (6r) *Plutarchus in lib. de Virtutib. Mulierum.* (6s) *Plutarchus in Pericle* (6t) *lib. III. de falſ. Sapient. c. XXV. p. m. 554.* (6u) *lib. X. p. 417. & 125.* (6w) *Vid. Vossius de Poët. Græc. c. 4. Et Jamblichius de Vita Pythag. c. 17.*

Sed alia fuit THEANO *Metapontina*, vel *Thuria* seu genere *Cressa*, *Pythonactis* filia, *Pythagoræ* uxor. Quæ in Philosophiam commentata de *Virtute* scripsit, versusque (6x) περὶ πυθαγόρου & ἀποφθέγματα πυθαγορείων (6x) composuit. Hanc fœminarum primam fuisse philosophatam & poëmata scripsisse tradit *Didymus* (6y) scholæq; defuncti viri cum laude præfuisse testatur *Theodoretus* (6z). Cùm verò multæ ejusdem nominis fœminæ olim floruerint, magna deinde orta est confusio. Sic, quam suprà diximus *Pythagoræ* uxorem, hanc *Brontini* Pythagorei conjugem faciunt *G. Mart. à Baldhoven* (7a) atque *Joh. Jac. Hoffmannus* (7b).

THEMISTOCLEA, *Pythagoræ Samii* Soror, cujus plerasque opiniones atque placita haut timidè secutus legitur ipse *Pythagoras*.

ZENOBIA *Ptolomei* Regis Ægyptiaci *Heroica* Filia, quæ post *Obdenati* Conjugis mortem in Syriâ Romanorum rexit imperium; ingenio, clementiâ, fortitudine, constantiâ singulari prædita. Humaniores literas à *Sophistâ Longino* edoctu, & Christianorum sacra sciendi cupida, infelici fato in *Paulum Samosatenum* incidit. Ad conciones galeata cum purpureo limbo & dependentibus gemmis procedebat. Voce clarâ, moribus severis, peculiari castitate, ut ne cum Viro suo nisi prolis gratiâ consveisceret, fuisse dicitur. Græci, Ægyptii Latiniqve sermonis peritissima Orientalem & Alexandrinam Historiam in epitomen redegit, *Herennianum* ac *Timolaum* filios Ipsa literas docuit. De exitu Matris ac Filiorum certo incertum est, *an* interierint *morbo?* an ab *Aureliano* fuerint post triumphum, ubi nudis pedibus & affixis ferreis catenis incedere cogebantur, interfecti?

§. XXII. Hactenus de *Fœminis* vel ex *Græciâ* oriundis, vel eximiâ græcarum literarum eruditione cultissimis. Jam ad reliqvas cujusvis *religionis*, *regionis*, *eruditionis*, *ætatis*, *loci* & *conditionis*

(6x) *Theon. Sophist. Progym. cap. V. pag. 292.* (6y) *Apud Clem. Alexandrinum lib. IV. Strom. pag. 581. Edit. Heinf.* (6z) *Serm. II.* (7a) *in Catalogo doctarum Virg. & fœmin. ad calcem Parthenici Elisabethæ Joann. Westoniæ subjecto pag. 3.* (7b) *Lex. Univers. Tom. alt. p. 441.*

nis VIRGINES atqve MATRONAS sororio alphabeti nexu citra πρωτοκλισίας præjudicium connectendas progredimur, ut, qvæ gentilitia aut exstantiora sua nomina à prima literarum ordiuntur, primum qvoqve locum suo qvasi jure occupent:

A.

Cornelia ADRICHOMIA, *Batava*, carminibus mysticis ac variâ eruditione illustris virgo. *Petrus Opmeer* (7c) Illam nulli veterum Poetarum cessisse dicit. *Epitaphium*, qvod Ipsa excogitavit, hoc est:

Corpus humo, superis animam CORNELIA condo,
Pulverulenta caro vermibus esca datur.
Non lacrymas non fingal tua tristesve querelas,
Sed Christo oblatas jam precor umbra preces.

AGAMEDA, qvam tot medicamenta sciviſſe, qvot lata terra produxit, scribit *Homerus* (7d).

ALGASIA in extremis Galliarum finibus habitavit, & qvæstiones qvasdam religiosas Bethlehemum transmissas *Hieronymo* explicandas proposuit (7e).

ALPAIDES Virgo cùm religionem magno cultu complecteretur, cœlitus obtinuit Scripturæ S. sensum percipere (7f). Deinceps *Pipino* nupsit & *Carolum Martellum* progenuit.

AMALASUNTHA, *Theodorici* Filia, Græcè Latineqve perdocta, ut & plurimarum aliarum lingvarum perita. Ex *Eutharico Cilligâ*, *Athlarici* Gothorum Regis mater, qvæ cum Filio per VIII. annos imperavit, & mortuo Filio, *Theodatum* cognatum in consortem imperii legit. Verùm ingratus hic ac perfidus Eam paulo post relegavit, tandem etiam obtruncari jussit (7g).

ANASTASIA nobilis fœmina Romana, *Publio* nupta. tantum ex Martyris *Chrysogoni*, Romani studiosi institutis atq; præceptis didicit, ut ab ingenuis attibus & Christianâ pietate instructa S. Scripturam dexterrimè exponeret, literas in solatium & fidem Martyrum victorum crebriores exararet. Post *Chrysogonum*

(7c) *Decad. 1. lib. X. de Martyr. pag. 76.* (7d) *lib. II. Iliad.* (7e) *Vid. Centuriator. Cent. IV. c. X. pag. 778.* (7f) *Vid. Baldhoven in Catal. cit. pag. 9.* (7g) *Vid. Cassiodorum lib. X. Ep. 23. 4. lib. XI. Ep. 13.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0028

rum interfectum fecit Ipsa qvoq; *Aqvilejæ* sub *Præfecto Illyrici*, manibus pedibusq; palo alligata & cremata, celebre martyrium (7h).

Isabella ANDREINA, qvam *Ericus Puteanus* (7i) hortatur, ut laurum carpat, & tempora venustamqve illam χρυσῆς Ἀφροδίτης venustatem inumbret, ita enim futurum, ne, dum verborum nectare audientium sensum mulcet, vultus igneo nitore & oculorum radiis accendat. *Idem* (7k) eandem nunc suam *Svadam Musamq;*, nunc seculi nostri *Sulpitiam*, *florem* illibatum populi, Svadæqve *medullam* vocitat.

Bettina ANDREÆ, *Johannis Andreæ*, celeberrimi JCti filia. Qvam cùm Bononiæ *Johannes de S. Georgio* Juris Doctor eximius, posteà *Professor Batavinus* matrimonio sibi junxisset, & morbidis qvandoqve plumis affixus aliisqve negotiis distentus lectiones differri voluisset, uxor feriari noluit, vices mariti implevit, cathedram ascendit, & summo cum applausu circum fusos Legum Cultores jura docuit (7l).

ANNA *Ducis Ferrariæ Filia.* Hanc *Cælius Secundus Curio* (7m) audivit ita latinè orantem, græcè loqventem, Ciceronis paradoxa explicantem, ad qvæstiones qvasvis respondentem, ut cum veterum puellarum qvâvis, qvæ qvidem ingenii laude excelluerit, conferri posse videretur. Scripsit *Olympia Morata* (7n) epistolam ad *Annam hanc*, in qva svasit, ut ad orthodoxam Lutheranam religionem accederet.

ANNA SOPHIA, *Serenissimi Hassiæ Landgravii* GEORGII FILIA, *Capituli Qvedlinburgensis* initiò *Præposita*, deinde *Abbatissa*, qvæ illustrem ab incunabulis eruditionem nacta Scripturam S. Theologiam, Patres, lingvas cùm Orientales, tùm occidentales, ut & Philosophos summâ curâ intellexit, legit, optimumqve elegit. Scribere hinc & Omnium pietati exponere didicit den treuen Seelen-Freund Christum JEsum mit nachdencklichen Sinn-

(7h) *Qvod ex Sim. Metaphraste atqve Vincentio referunt Centuriat. Magdeb. Cent. IV. c. XI. p. 818. c. XII. p. 832.* (7i) *Fercul. Epist. II. Epist. V. p. 56. 78.* (7k) *Bellarm. Epist. II.* (7l) *Qvod pluribus refert Hilarion de Coste in de Vit. Ill. fœm. Tom. I. part. III. p. 522.* (7m) *de liberis pie educandis p. 61.* (7n) *lib. XI. Epist. suarum p. 130. Plura de hac vide in operibus Olymp. Morat. p. 1. usqve ad 8. 97.*

Gemählden / anmuthigen Lehr-Gedichten / und neuen geistreichen Gesängen. Edit. Jenæ A. 1658. Ante paucos abhinc annos summo cum Suorum luctu in Domino beatè obdormivit Qvedlenb.

ARGENTARIA *Polla*, *Lucani* uxor, tanto ingenio doctrinâqve fuit, ut *coeptos* à Viro permultos *versus* eâdem styli gravitate & elegantiâ perficeret, atqve *epigrammata* peritissimè conscriberet (70).

AURELIA, *Cæsaris M.* fœmina primaria, singulari pudicitiâ mulier, qvam *purè & eleganter Romanè fuisse locutam* tradit *Jacobus* de *Strada* (*). B.

BAPTISTA, ex *Alexandri Sfortiæ* & doctissimæ *Constantiæ* conjugio nata, tantam sibi doctrinam acqvisivit, ut doctissimos qvosqve suâ terruerit eloqventiâ, plerasqve item mulieres doctas elegantissimo carmine recitaverit.

BAPTISTA, prima *Galeatii Malatestæ*, Principis Pisaurienſis filia, & *mvidonh* Montefeldrensis Urbinatium Comitis uxor. Hæc non modò cum doctissimis sæpe Viris summo cum elogio disputavit, sed & libros de *humanâ fragilitate* & *verâ religione* posteris legendos & admirandos reliqvit.

BARSINAM vili loco natam, formæ cultu & opulentâ dote destitutam, sed græca atqve latina sapientia egregiè excultam tanti fecit *Alexander*, ut Eandem Regis *Darii* filiæ pulcherrimæ, diviti ac generosæ longè præferret, inqve matrimonium eligeret. Nam illa tempestate Sapientia & doctrina, non divitiæ inducenda Conjuge spectabantur, &, ut qvæqve erat doctissima, ita splendidissimas sortiebatur nuptias (7p).

Anna BINSIA, *Antwerpiana*, vernaculo sermone poëmata scripsit, qvæ *Gvilielmus Eucharius* Gandav. postmodum latinè reddidit. *Fridericus Subertus* Illius dotes hoc disticho complexus:

Arte pares Lesbis SAPPHO & mea BINSIA; distant
Hoc solo, vitia HÆC dedocet, ILLA docet.

BLE-

(70) *Qvod recenset Bapt. Fulgosus lib. VIII. Exempl. memorab. cap. 3.* (7p) *Qvod indicat M. Jo. Herbinius Scholæ Bicinensis Rector Diss. Hist. 1. de Fœminarum Illustr. Erudit. c. II. §. IIX.* (7q) *V. Aubertus Miræus in Elog. Belg. lt. Val. Andreæ Bibl. Belg. &c.* (*) *in Epit. Thesauri Antiq. p. m. 3.*

BLESILLA, cujus orandi modestiam, lingvæ nitorem, memoriæ tenacitatem, acumen ingenii satis prædicare & lugere nequit *Hieronymus* (7r). *Græca* græcè, *Latina* latinè locuta est, non secus, ac si utriusq; indolem vernaculam habuisset. In paucis, non dicam, mensibus, sed diebus ita *Ebraæ lingvæ* difficultatem vicerat, ut in discendis canendisqve psalmis cum *matre* contenderit feliciter.

Anna BLUMELIA, qvæ in octupla forma librum, Gülden Halßband appellatum, scripsit & edidit *Norimbergæ* A.C. 1586.

Johanna Margaretha BOSIA, plurimùm *Reverendi DN. M. Pauli Bosii ad sacram Crucis ædem apud Dresdenses Eccles. meritissimi* Filia Græcam, Latinam & Gallicam lingvam eleganter peritèq; callet, literas & res sacras, cùm polemicas & dogmaticas, tùm historicas pro suis ingenii atq; ætatis dotibus satis exponere novit, inqve rebus vel antiqvitus vel recens gestis civilibus solertiam singularem prodit. Qvid in Musica tàm vocali qvam instrumentali; qvid in phoronomia saltatoria &c. præstare satagat, aures oculiq; modesti melius, qvàm calamus noster, asseqvi poterunt.

CALPHURNIA, juris adeò perita, ut per seipsam causas ageret, seq; judicib9 sat molestam præberet, inde occasio edicto data, qvo cautum est, *ne mulieri in posterum causas agere liceret* (7s).

Anna CAMILLA, *Parisiensis* virgo, *Johannis* nobilis Delphinatis filia, *Lucretiæ Morellæ* & *Dianæ* soror, *Græcè, Latinè, Italicè*, & *Hispanicè* doctissima celebrabatur.

CARPEGNA, *Comitissa Romana*, qvæ præter exactam, qvam habuisse dicitur, peritiam sex lingvarum; *Germanicæ, Britannicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Latinæ* & *Italicæ*, in omni qvoq; philosophia versatissima fuisse dicitur *B. Jacobo Thomasio* (7t) ex novellis *Ritschianis* (7u), qvas in testimonium adducit.

CASSANDRA *Fidelis Veneta*, cujus orationem *Angelus Politianus*, (7w) legit, lectamqve vocat eruditam, locupletem, sonoram

(7r) *Tom. III. Epist 56.* (7s) *Conf. Dn. Hoffmanni Lex. Univers. Tom. prior. p. 354. Adde Henr. Cornel. Agrippæ Oper. part. poster. de Nobilit. & præcell. fœm sexus. p. 536.* (7t) *In Diatribe Academica de Fœminarum Eruditione Thes. I. §. 51.* (7u) *De die 29. Nov. Ann. 1670. Romæ perscriptis.* (7w) *lib. III. Ep. 17.*

ram, cordatam, lætæq; indolis plenam. Neq; extemporalem Ipſi defuiſſe dicendi facultatem, qvæ magnos etiam Oratores deſtituit, idem *Politianus* accepit. Præterea ad citharam verſus latinos, qvos Ipſa eruditè compoſuerat, commodiſſimè cecinit; *Patavii* diſputando ingentem ſemper laudem obtinuit. Ut verò omnibus in omni doctrinarum genere appoſitè reſponderet, & alacrius eruditionis ſuæ documentum præberet, *de ſcientiarum ordine librum* edidit (7w). Hujus ingenii pariter ac corporis inſignia dona eleganti incluſit epigrammati *Sannazarii* (7x), qvod ſe ita habet:

Qvarta Charis, decima mihi ex Pieris, altera Cypris,
Caſſandra una choris addita diva tribus.

Hæc *prodigioſæ res ſingulari doctrinâ eminens* (7y). *Hoc decus Italiæ* (7z) vixit A. C. 1487.

S. CATHARINA, *Philoſophorũ* patrona, nobilis illa *Alexandrina Virgo, Coſti* Regis Filia, qvæ à primâ ætate liberalium artium ſtudia cũ fidei ardore conjunxiſſe, & brevi ad eâ doctrinæ ac ſanctitatis perfectionem adſpiraſſe legitur, ut decem & octo annos nata eruditiſſimum qvemq; ſuperaret. Qvæ cùm *Maximini* imperio multos ob *Chriſtianam religionem* torqveri, cruciari, ad ſupplicium rapi vidiſſet, animosè ipſum Imperatorem accesſiſſe, immanem truculentiam Illi objeciſſe, Chriſtianæ religionis veritatem pariter ac neceſſitatem vindicaſſe dicitur. Cujus judicium & confidentiam *Maximinus* admiratus retineri Eam juſſit, & accerſitis undiqve doctiſſimis Hominibus, qvi convictam à Chriſti fide ad idolorum cultum perducerent *Catharinam*, maxima promiſit præmia. Sed res In contrarium cecidit. Nam *qvinqvaginta* exactiſſimi illorum temporum *Grammatici* ac *Rhetores*, qvi ad Illam coargvendam confluxerant, vi ac ſubtilitate ejus tanto Jeſu Chriſti amore fuerunt incenſi, ut pro Illo mori non dubitaverint. Qvos *Tyrannus* omnes trucidavit, *Catharinam* verò à *rotæ* impoſitione per fulmen liberatam *gladio* decollandam juſſit (8a). Cætera, qvæ de *Auguſtæ* per *Catharinam converſione*, qvatuor rotarum mira-

(7w) *Conf. B. Fulgoſum lib. VIII. c. 3.* (7x) *p. 169.* (7y) *Juxta Politianum l. c.* (7z) *per Bapt. Fulgoſum l. c. Conf. Chriſtoph. Scheurl. in Epiſt. ad Charit. Pirckheim. p. 340. Oper. Bilibald. Pirkheim.* (8a) *Vid. Vinc. Bellov. lib. XIII. ſpec. hiſt. c. 5. 6. 7. 8. It. Jac. de Vorag. legend. 167. Nov. & c.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0032

miraculo, martyrii *coronâ*, lactis *stillicidio*, Angelicâ in montem Arabiæ Sinai, *translatione* & innumeris aliis circumferuntur commentis, hæc à nobis, favente DEO, alibi specialius discutienda.

CATHARINA *Genuensis* duos sacrorum catalogorum libros composuisse dicitur *Coccio*. Obiit A. 1510.

CATHARINA *Laudæa*, variâ & profundâ eruditione cluit (8b).

CATHARINA *M. Nicolai Alberti, Pastoris Bohemi* filia, sub initium hujus seculi clara, linguarum *Bohemicæ, Germanicæ, Latinæ, Græcæ & Ebraicæ* valdè perita (8c).

CATHARINÆ *Pacensis* latina carmina sacris sæpe & publicis certaminibus decantata primam *Hispali* & *Compluti* lauream, judicum sententiâ, meruisse feruntur. Mortem ipsius acerbam & immaturam Anno ætatis XXVII. insanabilem Musis dolorem attulisse hæc exclamatio (8d) testatur: *Heu quæ ingenii vena illo die ad summam gloriam Eloquentiæ floreſcens exaruit! Quos Poëseos fontes subitò fortuna prostravit? Quæ non literæ politiores cum Illâ mortuæ & sepultæ fuerunt!*

CERELIA studio Philosophiæ, teste *Cicerone* (8e), inprimis flagravit, ipsum *Ciceronem*, annotante *Gothofredo* (8f), valdè observavit, ejusque scripta lubenti animo pellegit. *Cicero* (8g) eandem vocat *necessariam suam*, & *P. Servilio* Collegæ de meliori notâ commendat.

CHRISTINA, *Gustaphi Adolphi Svecorum R.* filia, An. 1626. nata. Patri mortuo successit, sed An. 1654. regno cessit. Hinc *Romanæ communioni* nomen dedit, *Alexandrâ* ab Alexandro VII. P. R. dictâ. Literarum cum multis *Cardinalibus, Salmasio, Heinsio, Caryophilo, Lirchero*, aliisque Celeberrimis Viris habitum commercium, nec non tot Eidem dicti panegyrici ac inscriptæ libris dedicationes sapientem Illam atque literatissimam communi orbis suffragio pronunciant. Et nisi ἀπροσωπία famæ stigma

 inusis-

(8b) *Bembus lib. VI. Epist. 12. p. 615.* (8c) *G. Martini à Baldhoven in catalogo Virg. & Fem. sub finem,* (8d) *V. Tom. II. Hispan. Illustr. p. 822.* (8e) *lib. XIII. ad Attic. Epist. 21.* (8f) *ad cit. loc.* (8g) *lib. XII. ad Fam. Epist. 18.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0033

inusisset, laudem hominum virtute suâ heroicâ longè superasset, qvid enim doctrina sine pietate? qvid pietas sine sincerâ religione? Neq; *Christina vicenaria* literas exactè excolere, literatos impensè æstimare didicerat, sed hodieq; *septuagenaria* Alchimiæ operam dare, astra observare, statuas subterraneas & lucernas urnasq; sepulchrales effodere perhibetur. O terrâ cœloq; dignissima proles!

CHRISTINA *Pisana*, multivariâ eruditione inclaruit, dum *Thesaurum civitatis mulierum* edidit, opus vastum de *Via magni studii* Carolo VI. Galliarum Regi inscripsit (8h).

CLAUDIA *Bectozia, Scholastica* dicta, ex Delphinatu oriunda. *Latino Gallicoq;* versu plurima scripsit, à *Francisco* I. magni ob eruditionem habita. Academicorum opiniones secuta obiit Anno 1547. (8i).

CLAUDIA, *Statii Papinii*, Poëtæ & Oratoris Romani Uxor, magno ingenio doctrinâqve haut vulgari fuit. Sub *Domitiano* vixit & Hoc mortuo *Neapolin* se cum Conjuge recepit.

Antonii COCI Filiæ à *Cambdenio* (8k) Græcè & Latinè supra sexum eruditæ appellantur.

Victoria COLUMNA ob felicitatem in condendis carminibus inprimis celebratur (8l). *Folieta* (8m) nescit, utrum in Hâc muliebris gloria æqvarit, an superarit virilem præstantiam?

Anna COMNENA, *Alexii Comneni* Imper. filia, eruditione insigni, qvoad viveret, præcelluit. Scripsit Patris sui historiam XV. libris comprehensam, nuper à *Joh. Gronovio* publici juris factam.

CONSTANTIA, *Alexandri Sfortiæ* uxor, ab infantiâ bonis disciplinis operam dedit adeò, ut imparata qvoqve disertissimè loqveretur. Assiduò præ manibus habuisse fertur opera *Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Lactantii* itemq; *Ciceronis*. Ex tempore carmini-

(8h) *Verdier Biblioth. pag. 165.* (8i) *Hilario Costus, Elogio foem. illustr. t. II. pag 8. p. 755. Conf. Lud. Dominicus de Nobil. foemin. It. Fr. Augustinus Theatr foemin. illustr.* (8k) *Annal. pag. 284.* (8l) *Vid. Flaminius lib. II. Carminum p. 186. It. Joh. Casa p. 133. Opp.* (8m) *lib. III. de Lat. ling. præstant. pag. 143.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0034

minibus non sine magnâ multorum admiratione scribendis valuisse, idqve sine Præceptore didicisse creditur.

CORNELIA *Africani* majoris filia, nobilissima Matrona, eademq; eloqventissima, *Sempronii Grachi* uxor, *Tiberii* & *Caji* Gracchorum mater. Huic longè majorem peperere existimationem, qvas Romæ publicè ac privatim docuerat, *scientiæ*, qvàm qvas ex Africa filii reportarùnt, *victoriæ*. *Cicero* de Hâc in Rhetoricis ita pronuntiat: *Nisi fœminæ nomen Corneliæ obstitisset, inter omnes eminueret Philosophos, nunqvam enim à carne debili tàm graves vidi proficisci sententias.* Exstat adhuc Ejusdem *epistola* ad *Grachos* filios, qvam *Sextus Charonæus* (8n) describit. Docuit Filios pariter atq; alios Romanos Juvenes, qvi domum Ipsius, referente *Fabio*, (8o) freqventarunt. Eruditionem & Eruditos *suæ præcipuæ* vocare consvevit *ornamenta*. Interrogata aliqvando à *Romano* qvodam: *Magisnè gloriaretur, qvod tantorum Magistra discipulorum, an qvod talium Mater filiorum esset? Ego* inqvit, *majori mihi laudi duco, qvam paravi scientiam, qvàm filios, qvos peperi*; Nam Filii (addit *Gvevara* (8p) qvidem Superstitis honorem incolumem, discipuli verò Exstinctæ memoriam immortalem præstabunt. Hujus Matronæ laudes pluribus recenset *Juvenalis*, (8q) qvem vide.

CORNIFICIA, *Cornificii*, Poëtæ & Ducis Augusto Imp. chari soror, *Græcis* æqve ac *Latinis* literis instructissima, nec non in politis carminibus & epigrammatibus scribendis versatissima. Tantam Ipsi natura concesit promptitudinem, qvâ meliores ex tempore versus ac epigrammata, qvàm frater præmeditatus composuerit. Solam scientiam supra fortunæ ictum esse putavit (8r). Cùm aliqvando *Calphurnius* opulentus civis *Cornificio* Poëtæ tenuem laceramqve suam sortem exprobraret, hoc pacto respondit *Cornificius*: *Felicis nomen ideò mihi sumo, qvod Sororem habeo totâ Italiâ honoratissimam; tu verò uxorem habes in tota urbe inhonestissimam* (8s). Tantum *Cornificio* placuit *Cornificia* soror!

An-

(8n) *Lib. de Laudibus Mulierum, cit. A. Gvevara Horol. Princip. lib. 2. c. 36. n. 372.* (8o) *lib. XII. cap. ult.* (8p) *l. c.* (8q) *Satyra VI.* (8r) *V. Vincentium Bellov. de Mir. Nat. lib. XXXII. c. 51.* (8s) *Conf. Petrus Crin. ad Poët. lat. lib. 2. c. 29. It. Bapt. Fulgosus lib. VIII. c. 3.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0035

Anna Maria CRAMERIA, B. M. *Andreæ Crameri*, Pastoris Magdeburgens. filia, facie venustâ, ingenio ad qvævis studia felicissimo & promptissimo ultra fœminei sexus modum. Inde factum, qvod à teneris unguiculis non tantùm in pietatis, sed etiam literarum studiis, præsertim *Musicâ* & *Arithmeticâ* optimè informata & exercitatissima, *Historiæ* & *Poëticæ* studiosissima, linguis *Ebreâ* & *Latinâ* elegantissimè exculta, & *sacrarum literarum* studiis unicè dedita, ut qvasi altera *Olympia Fulvia Morata* ab amicis & familiaribus spe indubitatâ haberetur (8t). Inopinâ qvidem & immaturâ parentibus atqve amicis; sibimetipsi verò diu meditatâ morte in Christo beatè & placidè obdormivit An. Ch. 1627. d. 6. *Augusti* circa horam noctis XI. A. ætat. 14.

Maria CUNICIA, *Dn. Heinrici Cunitii*, Medic. Doct. Suidniccnsis filia, DN. *Eliæ* von Löwen/ *Hæreditarii* in Kuntzendorff & Hohen Giersdorff/ *Med. Doctoris*, *per totam Silesiam & vicinam Poloniæ Practici*, dum viveret, felicissimi Uxor. Hujus Musæ linguas: *Germanicam*, *Italicam*, *Gallicam*, *Polonicam*, *Latinam*, *Græcam* atqve *Ebræam*; acu penicilloqve fictas pictasqve elegantias; Musicæ dulcedinem; præcipuè verò in tanto eruditionis apparatu modestiam atqve humanitatem expertus *Herbinius* (8u) ex merito dilaudari posse diffidit. Inclaruit qvàm maximè hæc nobilissima *Virago* edito, & FERDINANDO III. dedicato abhinc XXXVI. annis *Volumine Mathematico* cum hâc inscriptione: MARIÆ CUNICIÆ URANIA PROPITIA. Qvod uti *lectoribus* suis certissimo est emolumento, ita perennem *annalibus* famam debet atqve gloriam. D.

DIODORI *Socratici* Filiæ numero qvinqve, ob Philosophiam & disputandi peritiam *Dialecticæ* appellatæ, multumqve laudatæ *B. Hieronymo* (8w).

ELISABETA, post *Mariam* Sororem *Angliæ Regina*, *Henrici* VIII. ex *Annâ Bolenâ* Filia, è vinculis thronum An. Ch. 1558. d. 17. Nov.

(8t) *Hoc Ipsi Pater elogium dedit in monumento excuso sepulchrali, qvod laudat B. Thomasius, Thes. II. §. 5. ad lit. Φ. Conf. P. Laurembergius Acerr. Philol. Cent. IV. Hist. 24.* (8u) *Qvo gloriatur in Dissert. Hist. de Foem. Illustr. Erudit. Witteb. 1657. hab. Cap. III. §. XVII.* (8w) *Tom. III. Epist. lib. v. adversf. Jovian. f. 22.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0036

Nov. conscendit, frustrà *Maria Scotica, Henrico II.* Gall. & *Philippo II.* Hisp Regibus renitentibus. Anno ætatis 17. *Latinam, Gallicam, Italiam,* mox *Græcam* atqve *Hispanicam* lingvam tàm egregiè edocta fuit, ut Regum Principumq; Legatis Ipsa aures præbuerit, responsaq; singulis uno die tribus, cuilibet in sua lingva dederit Leges Majestatis gravissimas tulit non modò, sed & in valore obtinuit omnes. *Andreas Maurocenus* (8x). Illam vocat *Mulierem, si religionem demas, toto terrarum orbe cunctis seculis memorabilem. Paulus V. Pontifex Rom.* dicere solitus est: *Unum Virum unamq; Fœminam, excepta religione, in toto orbe imperando dignos imperio habendos;* per qvos *Henricum* Navarræ Regem atqve *Elisabetam* intellectos volebat. *Dn. Hoffmannus* (8y) *Elisabetam* vocat Fœminam supra sexum *prudentem, eruditam, religiosam* atqve *felicem.* Mortalitatis exuvias deposuit sine marito & prole Virgo A.C. 1603. d. 24. Mart. *Ætatis* 70, *regni* 45. scripto Hærede *Jacobo* VI. Scoto.

ELISABETA, FRIDERICI *Bohemiæ* qvondam Regis Filia, natu maxima, literis ac studiis Philosophicis deditissima, Cujus Illustrissimo Nomini *Renatus des Cartes* suam Philosophiam inscripsit, inqve dedicatione Laudes Illius affatim complexus est. Qvæ acu & penicillo olim *Hagæ-Comitis* duxit lineamenta. Spectatores in stuporem egerunt, qvippe qvæ non tam elegantem manum, qvàm sublime ingenium luculenter indicarunt.

ELPIS *Boëtii*, Viri Consularis Uxor, qvæ literis ac inprimis poësi excelluisse dicitur, de qvâ hoc reperitur *Epitaphium:*

Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Qvam procul à Patria Conjugis egit amor.
Qvo sinè mœsta dies, nox anxia, flebilis hora.
Cumq; Viro solùm Spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est, tali remanente marito.
Majorisq; animæ parte superstes ero.
Porticibusq; sacris jam nunc peregrina quiesco,
Judicis æterni testificata thronum.
Neve manus bustum violet, ne forte jugalis
Hæc iterum cupiat jungere membra civis.

ERDMUTH SOPHIA, *Sereniss. ac Potentiss.* ELECTORIS Saxo-

E

(8x) *lib. XVI. f. 634.* (8y) *Lex Univers. Tom. pr. p. 592.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0037

Saxoniæ JOH. GEORGII III. DOMINI Nostri Clementissimi beatissima Soror, A.C. 1644. d. 15. Febr. nata, & A.C. 1662. *Serenissimi* DOMINI CHRISTIANI ERNESTI, *Marchionis Brandenburgico-Lumbacensis* connubio juncta, in desiderarissimum orbis literati usum congessit & edidit, Handlung von der Welt Alter &c. nunc Sonderbahre Kirchen-Statt- und Welt-Sachen inscriptum librum, quo gaudent & utuntur, quotquot præsentia curant. Terræ erepta cœloque ad æternam memoriam inserta fuit An. Ch. 1670. d. 12. Junii.

EUSTOCHIUM, Paulæ mulieris Romanæ Filia, *Latinarum, Græcarum* atq; *Ebræarum* literarum studiis adeo excelluit, ut suo tempore *novum orbis prodigium* appellaretur. Ingenium studiis maximè sacris consecravit, atq; adeò, ut mira celeritate *Psalmos* in fonte Ebræo legere cursimque intelligere potuerit. Quâ de causâ *B. Hieronymi* (8z) amorem, cui per 35. annos *Bethlehemi* adhæsit, sibi apprimè conciliavit. F.

FABIOLA, *Romana fœmina*, quæ cùm magno studio sacras amplecteretur literas, *Prophetias, Psalmos* & *Evangelia* frequentissimè revolvit, usq; dum repetita lectio amorem Divinæ religionis magis inflammaret, & notitiam Dei salutarem augeret, unde *D. Hieronymus* (9a) Eidem librum de *veste Sacerdotali* obtulit atque inscripsit.

Anna Stephana FLEISCHERIA post multijugas *convulsiones* epilepsiam melancholicam & *ecstasin* hypochondriacam aliaque inusitata symptomata tantam casu accepit scientiam, ut de abstrusis aperta, de futuris contingentibus certa, de ignotis nota cum omnium Eruditorum admiratione panderet atq; perscireret *Freibergæ* A.C. 1620. (9b)

Johanna FLORA eruditione inclyta & multùm laudata *CL. Dn. Hoffmanno* (9c).

FUG-

(8z) *V. Hieron Epist, X. XIX. XXII. XXVI. &c.* (9a) *V. Hieron. Epist XXX. ad Ocean.* (9b) *Vid. Theatri Freibergensis Chronici partem post. ad An. C. 1620. p. m. 425. 432. seqq. Similem Historiam recenset D. Eribe, Observatione 81. p. 69. seqq. in Ephemer. Curios. Germ. Ann. 4. & 5.* (9c) *Lex Univers. Tom. I. p. 837.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0038

FUGGERIÆ, *Nobilissimi DN. Fuggeri Augustani Patricii*, filiæ, omnigenâ virtutum & literarum dote ornatissimæ, variarum lingvarum & artium rerumq; peritiâ cultissimæ, *Peutingerianas Gratias* in studiorum cursu imitatæ (9d). Ex his una *Isabella* Baroni Svevo *Vellingerano* nupta exactissimè Latinâ lingvâ loqvi didicerat. (9e)

FULVIA *P. Clodii*, postea *M. Antonii* uxor non muliebres artes, non familiam regere, nec privatum hominem superare, sed magistratus gerere, & imperantibus imperare sufficiebat, ut Ipsi ingentem gratiam deberit *Cleopatra*, qvod informatum ab Ea *Antonium* acciperet. Clàm noctu abiit & *Catilinæ* perfidiam *Ciceroni* detexit, eumqve pro suâ, qva erat, prudentiâ commonefecit, ut *Cethegum* ejusqve comites præcaveret. Hæc illa est, qvæ Maritum contra Cæsarem impulit, strictoq; ense sœpe militibus locuta (9f).

G.

Johauna GAILLARDA, insignis *Poëtria*, seculo præterito à *Maroto* laudata.

Henrica Catharina GERSDORFFIA, *Illustrissimi* atqve *Excellentissimi* DOMINI, DN. NICOLAI à GERSDORFF, Sac. Rom. Imp. Banderesii & L. Baronis, SERENISS. ac POTENTISS. ELECTORIS Saxoniæ Primarii Ministri Status & Consiliarii Intimi, nec non Comitis & Camerarii Supremi, Dynastæ in Baruta, Hennersdorffi, Bretnick, Buchwalda, Rackel &c. non minoribus GENERIS & VIRTUTUM radiis illustris CONJUX, qvippe FILIA Illustrissimi atqve Excellentissimi Domini, DN. CAROLI, Lib. Baronis à FRISEN, Dynastæ in Rothavia & Cotta, *POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ* Consiliarii intimi Comitis & in Proto-Synedrio *ELECTORALI* Præsidis eminentissimi, deqve Rep. Christiana ac Literaria immortaliter meriti, ac tantoqve majori nunc desiderio omnium ac luctu prosequendi, ex qvo paucos ante hos dies mortalitati ereptus, rarissimo Decore nec firmo minus columine orbam reliqvit Saxoniam. Cujus damna in uno hoc Capite plurima ut levare DEUS dignissimo Successore,

(9d) *Vid. Muslerus in Orat. l. p. 157.* (9e) *Conf. Crusius lib. X. part. III. Annal. Sveviæ.* (9f) *Vid. ex Plutarcho & Casio Hoffmannus Lex. Univ. pag. 667.*

GENERIQVE laudati eò benigniùs augere annos viresqve velit, communibus meritò votis omnes precamur! De ipsa autem nunqvam satis laudanda HENRICA CATHARINA supra sexum & seculi genium piâ, proba & erudita parum abest, qvin idem, qvod de *Carthagine Salustius*, dicam: *præstare nimirum, de ejusdem tacere laudibus, qvàm pauca dicere.* His enim dicendorum non assequi fastigium, non exhaurire copiam; prolixa autem adferre vel per chartæ hujus angustiam & instituti rationem minimè licet. Qvin digniores jam ante me nacta est Encomiastas, Viros celeberrimos, *Rappoltum* (9g) *Scherzerum* (9h) *Carpzovium* (9i) *Thomasium* (9k). Neqve verò de ullo, qvi futurus fortè scriptionis hujus Lector est, eam rerum omnium ignorantiam suspicari temerè possum, ut splendidissimarum dotium ac decantatissimæ per orbem virtutis FRISIO-GERSDORFIÆ ignarum omninò credam. Etenim ut verbo saltim, qvod ajunt, dicam, nulla est cultior inter eruditos lingva, sive ab ortu sive ab occasu profecta, qvam non comprehenderit animo; nulla est doctri-

(9g) *in Poëmatibus, lib. Miscellan. p. m. 288.* (9h) *Qvi sanctam lingvam Eandem docuit, & admirandam Illius eruditionem publicè ac privatim plus simplici vice commendavit.* (9i) *in Programm. publ. ad Orationem Ebraam à CL. DN. Johanne Sauerbrei, tunc Lipsiensi cultissimo studioso, nunc Gymnasii Coburgensis Professore meritissimo habendam invitatorio, ubi Nostram appellat vivam omnium Musarum ac Gratiarum imaginem, non lingvæ modò sanctæ, perinde ut aliarum Orientalium peritam, inq; omni humaniori cultam literaturâ, sed de exasciatis qvoqve doctissimorum qvorumcunqve laboribus in hoc studiorum genere exantlatis eruditè sapienterq; judicantem.* (9k) *in Diatrib. Acad. de Foem. Erudit. th. II. §. 6. Ubi Illam extra ordinem eruditam vocat & commendat Ejusdem tùm in Oratione soluta rarum nervosæ dictionis cum elegantia conjugium, tùm in cujuscunq; generis ligatâ suavissimum numerosi ac sonori carminis cum inventionis acumine concentum. His adjunge DN. Jo. Friderici Hekelii elogium, qvo Nostram vocat Parenti, Marito amoenisq; Musis ac Gratiis semper gratissimam in Libell. Hist. Philol. de Poëtarum Corona in Not. ad c. III. p. 122.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0040

doctrinæ liberalis, qvâ sacræ qvâ profanæ pars, qvam non exhauserit plenè, & acutissimè dijudicet. Sed nos Soli huic splendidissimo (id. n. *Syracidis* elogium, si qvæ unqvam fœmina, meretur) perenne jubar fataqve prosperrima devotissimi, qvotqvot Virtutem æstimare didicimus, exoptamus.

GENEBRIA, mulier *Veronensis* eruditissima, qvæ tempore *Pii II. Pontificis Rom.* suâ egregiâ eruditione immortale nomen meruit, & luculentas maximâqve doctrina refertas scripsit epistolas atqve orationes, qvas decoro gestu, virili voce, svavitate permixta, recitare didicit (9l).

GEORGIA *Montenæa*, virgo nobilis *Galla*, Reformatæ religioni addicta, super. seculo centum emblemata Christiana sat ingeniosa *Joannæ Albretanæ, Navarræ Reginæ* cum laude consecravit (9m).

Elisabeta, GERMANA virgo floruit circa A. C. 1150. & cum *Hildegarde* familiariter vixit. Scripta Ejus sunt *Parisiis* cum præfatione *Fabri* opusculis *Hermis*, *Hildegardis*, fratris *Roberti* & *Mechthildis* impressa. In illis Ipsi propheticus tribuitur Spiritus, qvasi qvæcunqve scripta reliqverit, in visione à DEO dicta revelataqve acceperit. *Visiones* hujus Virginis refert *Joh. Wolffius* (9n), qvem sis vide.

GORGONIA, *Gregorii Nazianzeni* soror, in S. literarum lectione assidua & interpretatione sincerâ omnes sui temporis Doctores atqve Interpretes facilè superavit (90).

Beltizia GOZADINA, *Amatoris Gozadini* generoso sanguine *Bononiæ* prosata, ingenuis artibus tanto incubuit studio, ut A. C. 1232. ætatis 23. defuncti Bononiensis Episcopi *Ludovici Fratta* laudes in ædo primariâ latino sermone ad stuporem recitaverit. Tribus post elapsis annis suprema Juris profitendi decora atqve privilegia cum laude adepta, Juris Institutiones intra privatos parietes prælegit, ex qvo Ipsi publica demandabatur professio. Multos eosqve egregios emisit suo suppresso, alieno sub-

(9l) *Conf. Baldhoven in catalogo cit. d. V. & E. p. 9.* (9m) *Vid. Verdier Bibl. Gall. p. 458.* (9n) *Lect memorab. & recond. cent. XII pag. m. 292.* (90) *Vid. Centuriatorum Cent. IV. cap. X. p. 242. & 528. A. Conf. Orat. Nazianz. in funere Sororis habitam.*

stituto nomine libros. Literarum delitias conjugii voluptatibus seriò prætulit, vixit enim cum Musis sine marito semper sola (9p).

Johanna GRAIA, Ducis *Suffolciæ* Filia, Principissæ incomparabilis exemplar, cui nulla gens, nulla ætas, Judice *Schurmanna* (9q), parem dabit. Utramq; lingvam Græcam & Latinam annorum 17. adolescentula apprime calluit, & si tàm felicem sortita fortunam fuisset, qvàm cum felici ingenio non infelicem conjunctam habuit educationem, non modò cum *Aspasiis, Sempronius, Grachorum matre* & literariâ laude commendatissimis qvibusq; fœminis, sed viris Academicis etiam titulis lauroq; onustis, pari certare elogio potuisset (9r). Moritura *Graja* magno animo dixit sibi spretis cœteris, qvas à Deo insignes acceperat, dotibus, nihil in omni vitâ tàm gratum fuisse, qvàm qvod trium lingvarum, qvas Eruditorum vocant, notitiam haberet (9s). Jussu Reginæ *Mariæ*, cujus factio prævaluit, unà cum marito *Gilberto Dudlejo* & *Patre*, Londini capite plexa est An. 1554.

Catharina Regina, DOMINA de GREIFFENBERG, *Baronissa* in *Seisenegk* &c. summo loco ad summa nata. Eruditis eruditione suâ haut vulgari ab ephebis innotuit, & Magnis magni semper æstimata fuit. Neqve qvod habuit egregium, inter vivos incultum aut occultum, sed maximè exasciatum atqve excultum dedit talentum, dum piorum oculis animisqve devotis exposuit XII. **Passions-Betrachtungen** cum XII. emblematibus appositè dispositis (9t). Eruditè qvoqve & devotè construxit **Sieges-Seule der Busse und Glaubens wider den Erbfeind Christl. Nahmens**. Qvod opusculum Illustris DN. *Joh. Wilhelm* à Stubenberg in censura vocat **ein Helden-Werck/Engelwerck** (†). Ubi qvid pia eruditio & erudita pietas possit, potissimùm observavimus. *In Societate Teutonicâ* cognominatur **die Tapffere / und ist der Lilien-Zunfft Obervorsitzerinn/und Zunfftmeisterinn.**

Argula GRUNBACHIA profundæ eruditionis, spectatæ vir-

(9p) *Leg. Hilarion de Coste de Vit. Ill. Foem. Tom. I. part. 3. p. 526.* (9q) *in Epist. ad Rivetum, inserta Opusc. ipsius pag. 72.* (9r) *Vid. Acta Martyr. à Wicleffo & Husso &c. lib. VII. p. 253.* (9s) *Qvod A. M. Schurmanna ex Michaële Angelo Florentino refert l. c.* (9t) *Edit. Norimb. An. 1672.* (†) *Edit. Norimb. An. 1675.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0042

virtutis ac pietatis virago, qvæ solidâ suâ variâqve scientiâ nixa cum cujusvis disciplinæ ac facultatis cultoribus atqve Doctoribus in contentionis doctæ arenam descendere, & de qvâcunq; re disserere nusqvam verita est (9u). Epistolas, qvas cum Eruditis commutavit, nil nisi pietatis & Lutheranæ religionis zelum spirant (9w).

Margareta GVERIN, *Matrona Nobilis à Pinha*, Latinæ linguæ & cœterarum artium peritissima, cum *Catharina Junckerinn* familiarissimè vixit (9x).

H.

HANGELA, al. *Angela*, virgo propheticum habuisse Spiritum & contemplationes de Christo, itemq; Revelationum librum scripsisse traditur *Joh. Wolffio* (9y).

Magdalena HAYMAIRIN *Ratisponensis* virgo, cujus *opuscula Germanica* itemqve *Epistolæ Dominicales* carminicè redditæ supersunt. Floruit superioris seculi A. 72. seqq.

HEDIBIA *Paterio*, Rhetore erudito nata, in extremis Galliarum finibus habitavit. Per *Apodemium* in Bethlehem missum proposuit *Hieronymo* XII. qvæstiones ex aliqvot S. literarum locis difficilioribus collectas, ad qvas etiam respondisse legitur S. Pater (9z).

HEDVVIG, *Burchardi II* Ducis uxor Sveva, Græcè & Latinè cumprimis docta, formosa, sed severa. Hâc ductâ non diu vixit *Burchardus*, sed egregiè dotatam reliqvit virginem (*).

HEDILA, *Samia* Poëtria, Poëtæ *Moschini* filia, & *Hedilogi* epigrammatistæ mater.

HELENA Constantini M. mater, post varia vitæ famæqve discrimina Augusta & Imperatrix appellata, pia non modò, sed & artibus lingvisqve variis ita prædita, ut librum non unum de

Provi-

(9u) *Lege Fontanum, lib. V. Histor. pag. 313.* (9w) *Has collectas habet Ludovicus Rabus part. II. Histor.* der Märtyrer *f. 375.* (9x) *Vid. Casp. Bruschium in Tract.* vom Fichtelberg *p. II. tr. Zeilerum Cent. IV. Epist. 65. p. 441.* (9y) *Lect. memor. & recond. Centen XII. p. m. 332.* (9z) *Conf. Hist. Eccles. Magdeburg. Cent. IV. cap. X. pag. 778. e.* (*) *Uti ex Eccardi Stumpfii lib. IV. part. II, Annal. Svevic. f. 117 Athenæus lib. IV.*

providentiâ DEI, de *Immortalitate*, de *Modo rectè vivendi* seris reliqverit posteris (†).

HELFFEDENSIS *Monasterii* virgo monialis, cujus nomen ignotum, scriptum verò, qvod *Lipsiæ* jussu *Zedenæ* I. Sidoniæ, Ducissæ Saxonicæ A. 1505. impressum, hoc titulo laudat *B. Thomasius* (a) das Buch der Botschafft oder Legation Göttl. Güttigkeit/durch eine sonderliche andächtige seelige Closter Jungfrau des Closters Helffede / etwa bey Eißleben im Lande zu Sachsen aus Göttlicher Eingebung gemacht.

HILDEGARDIS, *Moguntinensis* virgo, eruditione insigni & singulari vitæ sanctimoniâ A. C. 1180. celebris. Inter multa doctrinæ suæ monumenta scripsit, qvæ *simplicia*, qvæ *composita* tollendis ægritudinibus in *arte Medicâ* prosunt (b). Edidit qvoqve VII. valde utiles *libros*, qvi manifestis Scriptoribus in *Trevorensi concilio* novemqve *Archiepiscopis* approbati fuerunt. Hujus mulieris cùm *volumina*, tùm, qvibus ea probata sunt, *instrumenta* in monasterio *S. Ruperto* consecrato prope *Bingam* reperiuntur.

HORTENSIA, *Q. Hortensii* filia, cum Matronarum ordo gravi tributo à *Triumviris* esset oneratus, nec qvisqvam Virorum patrocinium Illis accommodare auderet, causam fœminarum apud *Triumviros* & constanter & feliciter egit. Revixit tùm muliebri stirpe *Q. Hortensius*, verbisqve filiæ aspiravit, cujus si virilis sexus posteri vim seqvi voluissent, Hortensianæ eloqventiæ tanta Hæreditas unâ fœminæ actione abscissa non esset. Verba sunt *Valerii Maximi* (d).

J.

JEAN *d'Arc Lotharingica*, puella rustica, è *Damremy* ad *mosam* Lotharingicæ ditionis pago oriunda *PUELLÆ AURELIANENSIS* nomine inclyta. Facinora qvæ patravit magna sunt & fidem humanam fermè superant, Inter præcipua autem nume-

(†) *Vid. Acerr. Phil. P. Lauremb. Cent. IV. Hist. 71. p. m. 675.* (a) *Diatr. laud. l. h. II. §. 5.* (b) *V. Trithemium Tom. I. cap. XXXI. p. 199.* (c) *Visiones enarrat Wolffius Lect. memor. & recond. cent. XII. p. m. 328.* (d) *lib. VIII. c. III. Hist. 3. Conf. Quintil. Instit. Orat. lib. I. c. I. p. 9.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0044

merantur, qvod tempore obsidionis *Aurelianensis* A. C. 1402 ac desperatis rebus omnibus Anno ætatis 18. vel 20. *Carolo* VII. Galliæ Regi se in auxilium divinitus missam prærenderit; Regem ante nunqvam visum inter multos alios agnoverit, *Anglos* ab obsidione depulerit *Talbotum* acie vicerit, *Campaniam* recuperaverit, tandem victricibus armis longe lateqve circumlatis *Carolum Remis* coronari procuraverit (e). Ut taceam Ipsius colloqvia cum *Feis* (f) *S. Catharina* & *Margaretha* in carcere habita. Horum factorum facultatem *Paschasius* (g) adscribit *Divino miraculo; Just. Lipsius* (h) *meris fraudibus & fictionibus*; *Judices* Anglicani *Magiæ*, qvare hanc puellam in Parisiorum oppugnatione vulneratam, à *Burgundione* circumventam & captam publice in *fero Rotmagensi* tanqvam veneficam seductricem, hæreticam & infamem A. 430. vivicomburio adjudicarunt (i) *Alii* causam in medio relinqvunt & admirantes nihil determinant. *Celeberrimus* DN. *Joh. Christ.* BECMANNUS, *Polyhistor & Doctor Francofurtanus de universa re literaria egregie meritus* (k) causam Actorum adscribendam putat *aut* delirio & enthusiasmo melancholico fortiqve imaginationi, sed consusæ & corruptæ; *aut* energemati, seu mavis, illusioni Diabolicæ tam internæ per phantasiæ turbationem, quam externæ per visionem seu apparitionem; *aut* omnibus illis simul. Qvo, ceu verosimili concesso injustam nimis & justo acerbiorem *de Sybilla* hac *Francica* pœnam fuisse sumptam arbitramur. Ut tamen ideo *Aurelianenses* Ipsius tanqvam Martyris statuam religioso cultu venerari non decat.

F IN.

(e) *A. C. 1612. peculiari tractatu hujus Puellæ historiam ejusque apologiam complexus est Joh. Hordalius, Consil. Lotharing. & Antecess. in Acad. Mussipont. qui genus suum ad Fratrem hujus Johannæ refert. Inde sua sumpsit Voëtius Vol 2. Disp. de Sign. & mir.* (f) *Erant speciosa forma & habitu fœminarum apparentia dicta Albæ Alvinnen*, witte Brouen. (g) *lib. VI. des Recherches de la France c. 4. & 5.* (h) *in Not. ad Politic. lib. 1. c. 3.* (i) *V. Joh. Is. Pontanum lib IX. rer. Geldr. Addatur, M. Z. Boxhornius in Hist. Univers. ad A. C. 1411. p. m. 944. seq.* (k) *in Hist. Orb. Terr. part. II. cap. III. de Regno Gall. p. m. 511. 514. seq.*

INGOLSTADIENSIS Virgo (l), insigne eruditionis decus qvæ uti jam cum multis bene doctis Viris conferri poterat, ita etiam in Academiæ *Patriæ* album recipi petiit.

JOHANNA *Anglica*, *Moguntiæ* nata, & ephebis virum mentita *Athenas* se contulit, ubi literis adeo solertẽ atq; felicem impertiit operam, ut *Romam* reversa paucos haberet sacrarum literarum scientia pares. Unde tantum apud omnes benevolentiæ & autoritatis sibi demeruit, ut *Leoni* IV. P. R. Ann. Chr. 853. mortuo Omnium suffragiis sufficeretur Sed biennio post in processione solenni prope amphitheatrum Romanum Huic foetum furtivum enixæ & infelici puerperæ succesit, virilitate prius caute explorata, *Benedictus* III. Qvod utrum fabulam an historiam sapiat, propediem, volente DEO, cum cura enucleatum dabimus.

JOHANNA *Blanchetta* Bononiensis virgo, *Latine*, *Germanice* & *Bohemice* perdocta (m) traditur.

IRENE *Athenienſis* uxor *Leonis* IV, & ex Eo *Constantini* VII Imp. mater. Cum filio annis IX. imperavit A. D. 783. Mulier profecto in rebus imperii administrandis Viro & socero multo prudentior. Ad hæc tam forma corporis, qvam morum sanctitate insignis (n).

JSORA *Nuarola* (o), *Veronenſis* mulier, qvæ per omnem vitam ore & opere Philosophiam professa scripsit dialogum, in qvo disqviritur: *liter gravius peccaverit, Adam an Eva? Leander Albertus* (p) de hac ita: *La quale era di tanta peritia di lettere humane & di Filosofia, che ad ogni gran litterato homo & ornata mente & dottamente scriveva, come jo ho veduto in alcuno sue Epistole.* Scripsit qvandoqve ad *Nicolaum* V. & *Pium* II. Pontifices. His litterarum laudibus perpetuum virginitatis florem adjecit.

JULITTA causam Ipsa in judicio adversus Imperatoris potentẽ Præfectum, avarumqve & flagitiosum agri, villæ, pecudum atqve servorum raprorem egit. Cum vero reus fidem & religionem

(l) *Cujus Muslerus sed sine nomine meminit Orat. p. 157 seq.* (m) *V. Leand. Albertus in descript: Ital p. 418.* (n) *Vid. Jacobi de Strada Epitomen Thesauri antiqv. p. 240. seq. cum icone.* (o) *Qvam Fulgosius lib. VIII. 3. Novarulam; B. Thomasius l. c. th. I. §. 51. Isotam Nagarolam vocat.* (p) *In Descript. Ital. p. 464.*

gionem *Julittæ* Christianam in curia Ethnica audiendam negaret atqve exciperet, lata est sententia: Posse mulierem legibus legumqve præsidio uti, si Christum abneget; sin minùs, neqve in judicio, neqve in legibus, neqve in reliqva politia locum eam habituram. At hæc: *Valeat*, inqvit illa, *vita*, *valeant meæ facultates. Hæc enim omnia perdere potius malo, quam una voce impia & blasphema in Deum Creatorem meum deprehendi.* Adqvod subito Iudex non opibus eam suis tantum privat, sed & rogo adjudicat (q).

Catharina JUNCKERINN, *Egrana*, tantæ eruditionis virgo, utcum summis Theologis certate non dubitaverit, omnes namqve libros, qvi de vera religione agunt, ita sibi familiares reddidit, utrem penitius sciviſſe, ac eorum Autoris, visa fuerit, floruit maxime A. C. 1542 (r).

JUSTINA, primo *Magnentii*, deinde *Valentiniani* Sen. Uxor, valde sed male docta, & ab *Arianis* instituta multum negotii & discriminis *Ambrosio* facessit, *Valentiniano* enim marito insidiis interfecto, ebria Arianismo conjux, filiùm regni successorem Ariano veneno infecit. Is ut erat à matre instructus, cum *Ambrosio* de doctrina statim multa confert, & certamen post sanguine finit (s).

L.

Ludovica LABBÆA, *Lugdunensis*, dialogum *de amore & stultitia* scripsit. Cæteroqvin parum secundæ famæ virgo (t).

LÆLIA, *C. Lælii, Cos. & Oratoris Rom.* filia, qvæ admodùm erudita paternam in loqvendo eloqventiam, elegantiorem reddidisse, svavissime docuisse, elegantissime scripsisse dicitur (u).

Anna Margareta LANGE *Serenissimæ Reginæ Danicæ ab honoribus Cameralibus* virgo, eleganti lingvarum cultu exculta & eruditione haut vulgari prædita. Cui I. S. D. D. anno Chr. 1679. *L'Ecole Pour Rire* &c. inscripsit.

Christina LAURENTIA, *B. Dn. Chr. Laurentii ab* Adlershelm

(q) *Vid Hist. Eccles. Magd. cent IV. c. XII. p 819.* (r) *V. Casp. Bruschius* in Beschreibung des Fichtelbergs *p. 11. Zeilerus Cent. V. Epist. 78. p. 441.* (s) *Conf. Centuriat Cent. IV. c. X. p. 672. It. c. III. p. 83.* (t) *Quod testatur Morerius in Dict. Hist.* (u) *Quod ex Quintiliano Fabio atque Bocatio testatur Herbinius Diss. Hist. l. de Fœm. Ill. Erud. §. XIII.*

helm *Camera Elect. Sax. Consiliarii & Consulis Lipsiens* qvondam meritissimi Filia, variis ingenii dotibus instructa linguam non unam callet, *Latinis* Latine, *Italis* Italice, *Gallis* Gallice, *Belgis* Belgice, *Angelis* Anglice &c. loqvi didicit, De *artibus* ingenuis, qvas novit; de *rebus* ad sanitatem, justitiam & pietatem pertinentibus, qvas experta est, eleganter & decorè differit. Reliqva Lipsiensis hujus *Charitis* decora admirando potius, qvam laudando assequimur.

Maria Barbara LEHMANNA, *Lipsiensium Superintendentis & Professoris Theologi Celeberrimi* DN. D. GEORGII LEHMANNI Filia, qvæ pro sua, qua est, sciendi cupidine variis linguam excoluit linguis, scit enim *Latine, Italice, Gallice* cum nitore decenti suavi celeritate loqvi. Artes, qvibus imbuta est, non sine laude exercet, honestosqve oculos commoda grataqve saltatione exhilarat.

Isabella LOSA *Corduba* Bœticæ Hispaniæ urbe clarissima oriunda, *Latinam, Græcam*, atqve *Ebræam* linguam mirifice docta, Theologiam sibi tractandam sumpsit, eamqve ita egregie excoluit, ut axiomate & titulo *Doctoris* publico mactaretur! Et ut eo tranqvilius sacris invigilaret studiis, defuncto viro, *S. Claræ* cœnobium intravit & vixit usqve ad A. C. 1564. ætatis 71. (vv)

Margareta Sybilla LOESERIA, ex illustri EINSIDELIORUM gente nata, B. *Conradi Löseri, Hæreditarii Mareschalli* &c. superstes viduaDuorumGenerosæ indolis & maxime spei Filiorum HENRICI & MAGNI mater felicissima, Domina in *Clöden, Reinhart & Meuro* &c. Heroina ultra invidiam supraqve sexum docta. Eruditissimis sæpe Viris comi terrori est, qvid enim Mercurius ad Venerem? qvid strabo ad Argum? *Ebraice, Græce, Latine, Italice, Gallice*, doctissima, versibus fundendis felicissima (x), in Mathematicis

(w) *V. Hoffm. Lex Univers. p. 592.* (x) *Quid inter alia arguit Inscriptio emblematica atque poëtica, quam nostra ingeniose invenit, & aræ Clœdensi adscribi curavit. In latium vero eandem scite & accurate transtulit CL. DN. M. DAVID WINTER Lycei Witt. meritissimus Con. Rect. Utriusque operam legis* im Clödischen Altar-Spiegel. *Witt. A. 1686. excuso.*

thematicis artibus atqve scientiis ingeniosissima (y) Historia Ecclesiastica, Politica ac literaria versatissima, in rebus ad sanitatem aut conservandam aut recuperandam experientissima, in casibus juris dubiis fingendis aut decidendis præsentissima. Ut de Theologica Ipsius scientia, rerum sacrarum æstimio(z), vitæ sanctimonia & Ministrorum verbi cultu neqvicqvam dicam. Tanta Hujus Saxonicæ CORNELIÆ virtus est, ut tantillum de inæstimabilis Ipsius virtute dixisse haud ægre ferat. Deus illam in illustris & generosæ familiæ solatium, & *Bonorum* exemplum ad arbitrium qvam diutissime sospitet.

LUCEJA *Mima* centum annis in scena prinuntiasse traditur *Plinio*. (2a)

LUCRETIA *Morella*, Lutetiis Parisiorum nata, *Johannis* nobilis Delphinatis Filia, *Græce*, *Latine*, *Italice* & *Hispanice* cum *Camilla* & *Diana* sororibus doctissima.

LUCRETIA *Tornabonia* Florentina, *Petri Medicei* conjux, *Laurentii* illius adeo inclyti mater, & erudita, partem enim Bibliorum S. Italico carmine expresit.

LUDOVICA *Margaretha*, *Locharinga*, *Henrici Guisiæ* Ducis ex *Catharina Cliviaca* Filia, *Francii Borbonii*, Contii Principis uxor. Musas suo dignata patrocinio inter alia A. C. 1620. *Aulæ res* sub fabulæ involucro descripsit. Obiit A. C. 1631.

LUDOVICA, alias *Eloisa* vel *Heloisa*, eruditissima puella, *Fulberti* Canonici Parisiensis Neptis, qvæ ex *Petro Abaillardo*, Philosopho & Abbate Parisiensi genuit *Astralabrum*. Opera *Abalardi* & *Heloisæ* conjugis, Abbatissæ, prodiere *Parisiis* A. C. 1616

LUDOVICA *Saracena*, virgo *Ebraice*, *Græce* & *Latine* docta,

(y) *Qvod divinum studium etiam in difficillimis excoluit partibus, pro astrologico eoqve tædioso calculo circellos atque puncta adhibere didicit.* [z] *Cujus locuples testis est, qvi Ipsius conscientiam moderatur, Max. Rev. DN. Christophorus NICOLAI, Pastor, Præpositus ac Superintendens Clœdensis vigilantissimus, Cui vocatur: Eusebiæ speculum, castique pudoris agalma, sexus fœminei gloria, candor, honos &c. Conf. Conc. Inaug. Aræ Clœdensis* von der überaus grossen u. reichen Barmhertzigkeit GOttes/ *Huic Heroæ ducatam*, (2a) *Ex qvo illud refert G. M. a. Baldhoven in catal. D. F. & V. pag. 6.*

cujus virtutem *P. Melissus* artificioso prosecutus est acrostricho, quod apud *J. H. Alstedium* (2b) videre est

M.

MAGDALENA de *Chemeraut* Pictaviensis, prosa versaque oratione varia edidit (2c).

Mariana MANCINO, *Ducissa Bullonii*, *Alibretaque*, *Vice comitissa Turena* &c. admirabili prudentia Domina, Cujus patrocinio ob disciplinas, quas à teneris unguiculis excolere & fovere cepit, suas *Curiositates physicas* currente anno *Lugd. Batav.* excusas reverenter inscripsit Parisiis *Dn. D. Joseph. de Tertiis.*

MARCELLA, illustri familia Romæ nata, *Hieronymi* discipula, ad quem absentem sæpe scripsit, suisque opibus adjuvit. Sacras Scripturas inexplebili aviditate & desiderio evolvit, atque subinde *cecinit* [2d]: *In cordo meo abscondi eloquia tua. ut non peccem tibi. Origenistarum*, qui Hierosolymis invaluerant, factionem ipsa prima prodidit, publice confutavit ac represit. Sacra permulta *Hieronymus* ad Eam scripsit, quæ in tomis passim obvia. Obiit paulo post Romam à Gothis captam A.C. 409 (2e).

MARCIA *Proba*, *Britonum* Regina, *Guithelini* uxor, prudentia illustris, & omnibus propemodum artibus liberalibus doctissima. Mortuo marito, ornando regno & educando *Sisillo* intenta *leges Martianas* promulgavit, à *Gilda* latine, *Alfredo* Saxonice versas (2f).

MARGARETA *Austriaca* seu *Flandrica*, *Maximiliani* I. Imp. ex *Maria* Burgundica, unica Filia. Cum aliquando inter furentes fluctus mortem meditaretur, sibi ipsi hoc *epitaphium* condidit:

Cy gist Nargot, noble Damoiselle,
Deux fois mariee & morte pucelle.

Belgii præfecturam non sine magna prudentiæ laude gessit. Scripsit *prosa versuque varia*, inter quæ *Dissertationem de Vita* sua &c. Symbolum ejus: *Fortune, Infortune, fort une.* Obiit *Mechliniæ* A.C. 1532. æt. 54.

MAR-

(2b) *In Encyclopæd. Poetica p. 551.* (2c) *Hilario Cossus Elog. Illustrium.* (2d) *V. Pitseum de Script. Angl. p. 60. Add. Tiraquell. T. 1. op. in XI. Leg. Connub. Gloss. prim. part XI. p. 189.* (2e) *ex Psalmo CIX, 11.* (2f) *Vid Hieronymus in Vita Marcellæ ad Principiam, Epist. 8. &c. Add. Centuriat. cent. IV. c. X. p. 777. a. b. c.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0050

MARGARETA artis medicæ peritissima, cui *Ladislaus* potestatem fecit periculum istius artis facere (2g).

MARGARITA *Francisci* I. ex *Claudia* Francica Filia, *Græce* & *Latine* perdocta, pietate ac virtute illustris. Prudentia & benevolentia in subditos, favore ac munificentia in literatos immortalem gloriam adepta obiit A. C. 1574.

MARGARITA *Valesia*, *Francisci I.* Gall. R. soror, *Caroli* Alenconii Ducis, postea *Henrici Albretani*, Navarræ Regis Uxor. Heroina pietate, virtute & literis laudatissima, versu prosaqve prompta; edidit *Margaritam Margaritarum: Speculum animæ peccatricis. Triumphum agni. Heptameron* &c. Integrum volumen epitaphiorum hujus Heroinæ memoriæ consecratorum exstat, inter qvæ *Annæ Margaritæ* & *Johannæ Seimeriarum* plurima latina eminent. Unicum *Valentinæ* cujusdam ex *Hoffmanno* (2h) distichon subjiciemus:

Musarum decima, & Charitum quarta, inclyta Regum
Et soror & conjux Margaris hicce jacet.

MARGARITA *Valesia*, *Henrici II.* ex *Catharina Medicea* Filia, forma & ingenio inclyta, varia poëmata & commentaria de rebus a se per vitam gestis scripsit. Ultima *Valesiæ* stirpis obiit A. C. 615. (2i)

MARIA *Gorgacensis*, illustris in Gallia Matrona, singularis sapientiæ & eloquentiæ Heroina. Exstant nonnulla ingenii ejus monumenta & scripta edita, qvorum præcipuum hoc est: *Egalite des hommes & des femmes* (2k).

Anna MARQVETIA, *Possiacena* monialis, Græce Latineqve perdocta poetria, *Ronsardi* atqve *Dorati* tempore, haut incelebris. A. 1588. obiit (2l).

MECHTHILDIS *ab Hackenborn*, qvæ des Güldenen Gebetbuchs Auctor creditur (2m). Hæc forte illa est, quam *Helffe-*

(2g) *V. Traqvellus Tom. I. c. XXXI. p. 199.* (2h) *Lex Univers. T. pr. p. 992.* (2i) *V. Thuanus in Hist. Barclajus in Euphorm. Lusinino part. IV. cap. III. p. 294.* (2k) *Laudat hanc Ludovicus Jac. a sancto Carolo, Cabilonensis Carmelita in Biblioth. Ill. fœm. qvæ scriptis claruerunt.* (2l) *V. Augustinus de la Chiesa, Theat. des Dames Scav.* (2m) *Quem ex Mechthildis scriptis a Monialibus collectum & Monachii A. 1614. impressum dicit B. Thomasius dict. l. th. II. §. 55.*

densis (2n) vocat die selige und andächtige Jungfrau &c. *Flacius* eam *catalogo testium veritatis* (20) inserit, ibiqve scriptorum ejus *Parisiis* impressorum, ut & Prophetiarum mentionem facit.

Anna MEMORATA, Reverendi olim Dn. *Jacobi Memorati* Pastoris Lesnensis filia, Variarum linguarum, historiæ & artis poeticæ peritissima. Hujus artis egregium dedit specimen, edito Latino carmine, illustrissimoqve Comiti de *Leszno Leszczynsky* dedicato. *Filiæ*, qvas mater instituit, non minori laude & felicitate gaudent.

Anna MELANCHTONA, *B. Philippi Melanchtonis* Filia natu maxima, virgo non solum forma, sed & latinæ linguæ peritia insignis, quam 14. annorum uxorem duxit (2p) *Georgius Sabinus*, ante a *Schulerus* dictus (2q).

Gertrud MOLLERIA, *D. Esslerii* filia, Regiomonti oriunda, cujus carmen Germanicum, qvo Dn. *Joh. Petrum Titium Orat. atque Poes. Prof. P. Gedani clarissimum* super obitum Conjugis *Annæ Borckmanniæ A. C* 1670. solari voluit, vidit & laudavit (2r) *B. Thomasius*. Adhuc *Regiomonti* cum *Filiabus* ob doctrinam claret.

MORELLA tam constanter peroravit, ut virilem Majestatem voce gestuque vinceret, tam venuste, ut facundiæ leporibus formam commendaret, vel ideo pulcherrima, qvod pulcherrime loqueretur (2s).

Juliana MORELL *A Barchinonensis Hispana* virgo, tribus illis maxime præclaris lingvis *Hebræa Græca* atqve *Latina*, earumque characteribus, sicuti *Hispanicis Gallicis* & *Italicis* affabre pingendis, musicisque instrumentis exercita, qvam *Henricus Kornmannus* Lugduni ad confluentiam *Saonæ* & *Rhodani* salutavit, doctrinam ejus obstupuit, & versu Heroico condecoravit (2t)

Margarita MORA, *Thomæ Mori*, Britanniæ Cancellarii Filia, ex *Guil. Ropero* egregiæ prolis mater, *Elisabetæ* et *Cæciliæ* soror, *Margaritæ Gigiæ* consanguinea et studiorum socia, non so-

(2n). *p.* 151. (20) *p.* 774. & 793. *edit. Francof.* (2p) *Nuptiis Witteb. celebratis A.* 1536. *d.* 6. *November. Vid. Melch Adamus in Vitis Philos. German. p.* 227. [2q] *Epitaphium Iosius, quod in templo Knipheſiano visitur legenis apud Nathan Chytraum in Deliciis variorum in Europa itinerum p.* 412 (2r) *in Diatr. laud th. II. § 5.* (2s) *V. Puteanus Promulsent. III. Epist. 94.* (2t) *Vid. Kornmannus Tr. de Virginum Statu ac jure c. XIV. p. m.* 34.

solùm utriusqve lingvæ, sed & variâ historiarum cognitione commendabilis [2u]. Patrem in vinculis retentum solata & ad constantiam hortata, illo capite plexo, in studiis librisqve pertexendis reliqvum vitæ tempus transegit [2vv].

MUTIÆ duæ *Sorores* ab utroqve parente eloqventiam didicere [2x]

MYIA, *Theanûs* filia, Pythagoreæ Philosophiæ dedita laudatur *Clementi Alex.* [2y].

MYRO *Byzantia*, Homeri Tragici mater, elegias condidit, aliaqve poëmata filio suggesit [2z].

N.

Magdalena NEVEU, *Pictavienſis*, ad cujus ædes, ceu Academiam Viros literarum & elegantiarum amantes confluxisse refert *Scævola San. Marth.*

NOGAROLA *Antonia*, *Veronenſis*, scientiâ, formâ & virtute inclyta. Illustris Viri, ex *Bonalcororum* familia, Nepotis *Passavini*, Principis & Domini Mantuæ Conjux. Perqvam eruditè exposuit N. T. & opera *Augustini* atqve *Hieronymi*. Sorores ejus *Genseva* & *Laura* similiter eruditionis laude floruerunt. *Angelica*, qvam *Negarola* genuit, lingvarum, S. Scripturæ & poesos admodum perita fuit (3a).

O.

OLYMPIA *Fulvia Morata*, *Fulvii Morati*, Ferrariensis Philosophi filia, *Andreæ Grunthleri* Medici Suinfordiensis uxor. Græcis atqve Latinis literis omniqve elegantiori literaturâ tam egregiè exculta, ut Summorum laudibus undiqve superbiat. *Thuanus* (3b) eam vocat *fœminam lectissimam atqve eruditissimam*; *Gyraldus* (3c) Græcis & Latinis literis apprimè eruditam; *Rittershusius* (3d) fœminam, in qvâ eruditio cum pietate certaverit; *Gualtherus* (3e) Græcarum & Latinarum literarum cognigni-

G

(2u) *Conf. Muslerus in Orat. pag. 157.* (2w) *Lud. Vives lib. 1. de Christ. Fœm. c. IV. f. 195. Conf. Stapleton. in Vita Thom. Mori.* (2x) *V. Baldhoven l. c.* (2y) *lib. IV. Strom. p. 108.* (2z) *Cujus Hoffmannus l. c. pag. 1063. ex Suida meminit.* (3a) *Perusius de Fœm. illustr. Cas. Capacius de Mul. illstr.* (3b) *Hist. lib. XXIV. p. 497.* (3c) *lib II. de Poetis nostri temp.* [3d] *Comment. in Vita Pirckheim. p. 3.* [3e] *Tom. II. Chron. p. 1276.*

gnitione egregiè excultam; *Kornmannus* (3f) fœminam, qvæ æviternum in Myrtilleto monumentum ob rei literariæ scientiam adepta sit *B. Titius* (3g), qvod literas scripserit ad *Phil. Melanchtonem, Joach. Camerarium,* & *Matth. Flacium* Illyr. inqve iis Illos rogaverit, ut Biblia lingvâ Italicâ edi curarent, ne tot ex Italis perirent. *Curio* (3h) Mulierem pietate & literis clarissimam; iterum *Alibi:* literis & disciplinis tàm Græcis qvàm Latinis, supra qvam qvis credere possit, exultam. *Idem* (3i) de Illa commemorat, qvod scripta *B. Lutheri,* qvibus delectabatur, in Italiam miserit ad *Laviniam Ruverensem Ursinam,* ut semet istis afficere ac recreare posset, jusseritqve, ut errorem, qvo tincta fuit, deponeret (3k). *Elisabeta Joanna Westonia* (3l) Olympiam sibi longè præferendam fatetur, qvando ad *Ericum Lymburch J. U. D. Consiliarium Comitis ab Oldenburg* hoc pacto se extenuat:

Non ego docta tibi præferri, Fulvia, qværam.
Cum mea ab aridulo venula fonte fluat.
Outinam faciles æqvaret Musa Morellas;
Surgeret ex Musis laus mihi digna meis.

Donna OLYMPIA, Romana mulier, illustri loco nata, suis consiliis, qvo ad viveret, Romanam curiam prudentissimè gubernavit. Apud *Innocentium X.* cui ab intimiori admissione erat, plurimùm potuit; & hodie sedentem *Innocentium XI* ingentibus donis atqve servitiis allecta initiò cameræ præfecturâ; mox Cardinalitio pileo dignum atqve ornatum fecit [3m].

Anna de OSORIO, *Burgensis,* majorum imaginibus nobilis, & Divinæ *Theol.* studio celebris fuisse dicitur [3n].

Anna

(3f) *Tract. de Virg. Statu ac jure cap. XIV. p. m. 33.* (3g) Im Exempel-Buch *pag. 3. seq.* (3h) *Lib. de liberis piè educandis pag. 61. It. præf. in Olymp. opera.* (3i) *p. 106.* (3k) *Prostant Olympiæ opera Epistolica Græca æqve ac Latina, carmina Latina, plura tamen Græca ab Utenbovio latine reddita, qvæ omnia Cœlii Sec. Curionis operâ prodierunt, Elisabeta, Angliæ qvondam Reginæ, inscripta.* (3l) *lib. 1. Parthenicon pag. m. 14.* (3m) *Qvod prolixe refert Dn. M. Jac. Dan. Ernesti* in Gemüths Ergötzligkeiten/*Colloq. XXX. pag. 558.* (3n) *Tom. II. Hispan. Illustr. pag. 712.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0054

P.

Anna PALANTIA, tàm præcocis ingenii virgo, ut ab Eâ duodecennali *Posthius* (30) carmine extemporali victus fuerit. *Paulus Melissus* [30], *Poëtarum Monarcha* (39), Palantiam suo amore dignam singulari hoc *acrosticho* fecit:

Amo Te. & dehinc amabo,
Nisi me vetes amare;
Nisi te sinas amari,
Angor & non angeris.
Paries meis medullis
Animoq; quantum acerbi!

Licet ergò des medullis
Animoq; acerba, amara,
Neque Te sinas amari:
Tandem haut, puto, vetabis,
Ita qvin amica dicam:
Amo Te, & de hinc amabo.

Ανονυμ. PARISIENSIS, *Parisiis* nata & celebrata, in *Ebræa, Græca* atqve *Latina*, imò etiam *Divinis mysteriis & reconditis artibus* doctissima, qvæ omnem scientiam ex libris Rabbinicis: *Zohar, Babir & Racanati* &c se hausisse affirmabat (31).

Gabrielis Carola PATINA, tantæ eloqventiæ virgo, ut in Academia *Patavinâ* latinam de liberata A. C. 1684. *Viennâ* orationem in consessu Procerum cum laude & admiratione omnium habuerit, qvam LEOPOLDO *Invictissimo Imp Rom.* inscripsit & exhibuit. Utroqve idiomate *Latino*, atqve *Germanico* prodiit, nescio ubi & qvo Autore, cum Oratoris *effigie* & gloriosa hâc *hypographe:*

Ein Wunder der Natur / des Frauen-Zimmers Pracht/
Desgleichen an Verstand / Witz und Beredsamkeit/
Bey zarten Alterthum nicht wol wird seyn gewesen/
Ist hier durch Künstlers Hand nur schattend ausgemacht.
Vom Kunstwerck an Ihm selbst/ worvon erst jene Zeit
Wird rühmen/ findstu gnug in dieser Schrifft zu lesen.

PAULA, Romana fœmina, Patre *Rogato* & Matre *Blesillâ* na-

[30] *Sicut ipse fatetur part. I. pœmat. pag. 133. 139 141. Part II. pag. 294.* [39] *De qvo illud habes Alstedius in Encyclop. Poët. pag. 361.* [39] *Ut illum vocat Melchior Laubanus, Nathanaële Tilesio cent. II Parod. Horat. Od. LIX. teste.* [31] *Qvod ex Johannis de Marconville Galli tractatu de Virtutibus & malitia Sexus fœmin. recitat Joh. Wolffius Lect. mem. Centen. XVI. p. m. 483. edit. Francof.*

nata. Ex *Toxatio* clarisſimæ ſobolis [35] mater. Peragratis omnibus *Judæa* & *Ægypti* locis, qvorum in Scripturis mentio fit, ac monumentis hiſtoriarum utriusqve teſtamenti accuratisſimè conſpectis in *Bethlehem* tandem conſedit. Poſteà cùm ad unguem ſacras Scripturas ex memoriâ teneret, qvatuor exſtruxit monaſteria, unum virorum, tria virginum, qvas ad pietatem ſedulò formavit, pſalmos ipſa Ebraicè cecinit. *Hieronymi* contubernio familiariſimè uſa enarrationem utriusqve Teſtamenti cum filiâ *Euſtochio* ab Ipſo audivit, eumqve, ut commentarios ſacrorum librorum conſcriberet, impulit (3t). Tandem cùm in ejusmodi vitæ genere annos exegiſſet XX. mortua eſt A. C. 408. VIII. Calendas Febr.

PEUTINGERI *Filiæ*, Auguſtanæ, virtutibus & literis eximiæ virgines (3u). Ex his una nomine *Juliana*, qvadriennis puella *Maximilianum* Cæſarem, Vindelicorum Auguſtam venientem, Latinâ adclamatione, Reipl. nomine ſalutavit, qvam ipſemet *Cæſar* humaniſſimè audivit perorantem. (3vv).

Caritas & *Clara* PIRCKHEIMERA, *Bilibaldi Pirckheimeri DD. Maximiliani I. & Caroli V. Imp. Augg. Conſiliarii, Equitis aurati, Senatoris & Patricii Norimbergenſis* Sorores, qvæ non tantùm *Latinam* lingvam; ſed & *S. Scripturam* egregiè intellexerunt, & cum Fratre non ſolùm, verùm etiam aliis illius ævi doctiſſimis viris non ſine omnium admiratione de rebus arduis contulerunt (3x)

PLOTIANA legum civilium haut imperita, qvam *Celſus*, graviſſimus in jure autor, reciproco literarum commercio dignam putavit (3y).

PROBA *Falconia*, Romana virgo *Græcis Latiniqve* literis eruditisſima, qvæ truncatos *Virgilii* verſus ad fidem & myſteria catho-

(3s) *Quam enumerant Centuriat. Magd. cent. IV. c. X. p. 777.* (3t) *Quod in præmio lib. XVIII. Comment. in Eſaiam affirmat Hieronymus.* (3u) *Mulerus in Orat. p. 156.* (3w) *Vid. Cruſius lib. IX. part. III. Annal. Sveviæ.* (3x) *Vid. Conr. Rittershuſii Comment. de Vita Bilib. Pirkheimeri; qvam Operibus Pol. Hiſt. Philol. & Epiſtol. præmiſit, f. 3. Conf. Operâ B. lib. Epiſtolica Epiſt. 1. f. 230. Epiſt. 4. f. 247. 340. 343.* (3y) *Tiraquellius Tom. 1. Oper. in XI. Leg. Connub. Gloſſ. prim. part. XI. p. 189. Hujus mentionem facit ex l. Plotiana ff. de jure dot.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0056

catholicæ fidei convertit. Conscripsit de Rebus à Christo gestis & ejus passione nobilissimum opus, qvod *Centones* appellavit (3z) Floruit A. C. 410.

PULCHERIA; *Arcadii* filia, *Theodosii* Jun. soror atqve Magistra, *Latinas Græcasqve* literas eximiè docta, Fratris nomine & auctoritate imperium cum *Anthemio* Urbis præfecto, ut supra sexum prudens erat, sapientissimè tractavit. (4a)

R.

Anna Sophia REDSLOBIA, B.M. *Jacobi Redslobij, Pastoris Luccâ-Lusati*, per vitam meritissimi superstes vidua, B.Dn. *Vismari, Concionat. Aulici Oldenburg.* filia, excitatissimi ingenii fœmina, qvæ ad Latinam lingvam expedite loqvendam, carmina fundenda, discursus eruditè formandos parata semper & apta dicitur.

Anna ROEMERIA, ingenii & poeseos fama apud *Batavos* celebris Matrona, qvam *Casp. Barlæus* (**) *Eryci Puteani* alloqvio compendavit.

ROSVIDA, vel *Hurosvitha* aut *Rosuitta*, illustris in cœnobio *Gandesheim* prope *Hildesiam* monialis virgo, stirpe & ingenio Sec. X. inclyta, *Græcè* & *Latinè* pererudita, versu prosaqve prompta. Hortatu *Ottonis II.* metro conscripsit gesta *Ottonis I.* Imp. qvæ jam impressa circumferuntur. Edidit qvoqve *poema de martyrio S. Dionysii & Pelagii* &c. qvæ *Conradus Celtes* excudi curavit Norimbergæ A. C. 1501. *Sex latino sermone comœdias* scripsit & habendas commendavit (4b). Ejus amabilia ceu doctissima scripta prædicat *Caritas Pirckheimera* (4c).

Elisabeta ROSERA, *Hispana*, erudita admodum *Paulo* III. P R. solidam variamq; suam doctrinam non semel testatam fecit (4q).

S.

Margareta SARROCHIA, *Neapolitana*, Heroicum de *Georgio Scanderbego* poema, plurimaqve alia Latina edidit. Sed nimiâ ambitione turgida cum eruditis sui temporis plerumqve altercata fuit. (*) *Alex-*

[3z] *V. Raderus in Aul. Sanct. c. XXI. observ. X. Dn. à Balaloven pro Falconia substituit Valeriam.* [4a] *Legatur Raderus Aul. Sanct. c. III.* [4b] *Vid. Trithemius de Script. Eccles. p. 76. Kornmannus l. c. p. 33.* [4c] *Epist. 2. ad Conr. Celt. f. 342. Oper. Fratris inserta.* [4d] *Cuius ex August. Chiesa meminit Hoffmannus, l. c. p. 592.* [*] *V. Jo. Nicium Erythræum, Pinacoth. P. 1. c. 145.* [**] *Epist. 440. ad Eryc. Puteanum p. 866. seq.*

Alexandra SCALA, *Bartholmæi Scalæ*, Florentini, filia Græcis Latinisqve literis excultissima, de qva egregium idqve Græcum *Politiani* epigramma exstat (4e) Exspiravit A. 1506.

Catharina SCHÆRTLERINA, *Abbatissa Sasslingensis*, qvæ apud *Crusium* (4f) appellatur die Ehrwürdige und Wolgelahrte Frau. Floruit 1583.

Domina de Schlebusch scripsit Ehrenpforten / qvas imprimi curavit Francoforti A. 1677.

Elisabeta SCHOENAUGIA, Ordinis Benedictini in diœcesi *Trevirensi* Abbatissa, *Rosvidæ* disciplinam atqve studia secuta scripsit de origine, nomine & inventione 11000. virginum. *Latinè* permulta, qvæ divinitus monita videbatur, item svaforias orationes concinnavit, inprimis *eruditissimarum epistolarum volumen*. An. 1165 mortuæ vitam scripsit frater ejus *Egbertus* Coloniæ 1628. impressam [4g].

Anna Maria SCHURMANN. ex ditione *Coloniensi*, genere & prosapia *Schurmannorum* antiqvissima nata, deinceps *Trajecti* ad Rhenum in *Belgio* clara, literas omnes atq; reconditas artes in parato ac numerato habuit, omnium penè gentium lingvis exculta, peregrinis expeditior, qvàm maternâ. In lingva *Ebraicâ*, *Chaldaicâ*, *Syriaca*, *Arabica*, *Turcica*, *Graca*, *Latina*, *Gallica*, *Anglicana*, *Italica*, *Hispanica*, *Germanica*, *Belgica*, *Batavica* & omnigenæ literaturæ studio celeberrima [4h]. Scribendi lepore ac venustate nulli secunda; Viros, qvi hoc unum totâ vitâ egerunt, in contentionem vocavit, nec tàm laudanda fecit, qvàm scripsit. Carmen sani coloris fundere didicit, gentium mores, principum ingenia, locorum situs optimè cognitos habuit; de abditis rerum causis graviter, de Rebuspl. sapienter, de fidei articulis subtiliter disseruit. Vitâ solitaria cum fœminis, ingenio & eloqventiâ cum Viris masculè decertavit. *Salmasius* [4i] Eam tot doctrinarum dotibus instructam celebrat, ut nesciat, in qva magis antistet. *Fr. Spanhemius* [4k] sto-

[4e] *Vid Gualther Tom. II. Chron. p. 1140. It. Petr. Lambe ius Append. IV. Pr. Capp. lib II. Prodr. Hist. Lit. Sciagr. cap. 31. pag. 279* [4f] *lib IX. Part. III Annal Suevic. f. 989* [4g] *Conf. Bapt. Fulgosum lib. VIII. cap 3. Adde Vossium de Hist. L. l. b. II. cap. 50. 53.* [4h] *Cujus polyglotriæ testis est Lud. Jac. à sancto Carolo, Cabilonensis Carmelita in Biblioth. Ill. Fœmin. qvæ script. claruerunt,* [4i] *In Præf. ad Miscell. defin.*

[4k]ſtolatum Muſarum & Gratiarum Doctorem; *Dan. Heinſium* (4l) Decimam Muſam; *Jac. Crucius* (4m) Minervam Batavam & Virginum ocellum; *Joh. Smith* [4n] Alpha Virginum; *Dn. Rotgerus, Polon. & Svec. Secretarius* unicum omnium mirandorum in homine docto exemplar, ac ſui ſexus, prorſus monſtrum, absq; omni tamen vitio; *B. M. Jo. Gabr.* Drechßler (4o) rarum atq; admirabile in hoc ſexu doctrinæ & eruditionis exemplum nuncupant. *Auctor Biblioth. Chalcographicæ* (4p) Ipſius iconi hoc elogium ſubſcripſit:

Divini Pictoris opus, cœleſtis imago,
Qvam dedit hic Divas pingere digna manus.
Qvæ cum omnes vellet, nec poſſet pingere Muſas;
Expreſſit decimam, cum decimaqve novem.

Neqve *mente* tantùm, ſed *manu* qvoq; artifex fuit. Sic ſculpſit; finxit exære, cerâ, ligno; ſic pinxit, ut nemo melius. Cùm enim *Chriſtina* Svecorum Regina *Schurmannam* aliqvando invitaret, inter colloqvendum hæc Illius faciem tàm affabre delineavit, ut Reginam mirari ſubierit. *Jeſuitis*, qvi ſimul aderant, tantum negotii facceſſit Reformata *Schurmanna*, ut *Spiritus familiaris* palàm inſimularetur, qvibus regeſſit: *habere ſe Spiritum familiarem, ſcilicit, qvo ſpiraret.* O Fœminam prodigio ſimilem! Qvam nemo æmuletur, qvia nemo imitari poteſt; nemo invideat, qvia ſupra invidiam, ſed non ſupra mortem, poſita fuit. Opera, qvæ ſcripſit, edidit *Lugd. Batav. Fr. Spanheimius* A. C. 1648. Iterum recuſa 1652. *Trajecti, Lexicon Philologicum*, qvod *Martini* numero ac pondere ſuperet, promiſit, ſed Germania, qvod ſciam, id nondum vidit.

Madamoiſelle de SCUDERY, Gallica virgo, eleganti eoqve morali libello *de Converſatione, ſur divers Sujets* Gallicè conſcripto commendatiſſima (4q).

SEMPRONIA *Latinarum* atq; *Græcarum* literarum valde perita dicitur *Andr. Hondorffio* [4r].

Juſti-

(4k) *In fine præf. qvam Opuſculis Schurm. præmiſit.* (4l) *in Epigramm. ad effig. Ipſius p. 35.* (4m) *lib. V. Epiſt. ad A. M. à Schurm. p. m. 773. 774.* (4n) *in Epiſt. ad Eandem.* (4o) *in Dedicatione, qvam præmiſit diſſertatiuncula de melioris partu Electione &c.* (4p) *Vol. IV. Heidelb.* [4q] *Qvi prodiit Amſterdami A. 1682. in 12ma forma.* [4r] *in Prompt. Exempl. f. 120. b.*

Justitia SENGERIA, *Brunswigæ* cœca nata & sacras literas apprime docta traditur, qvæ A C 1597. Psalmum LIX. de Passione Christi explicatum, & publicis typis exscriptum *Friderico* II. Regi Daniæ dedicavit, cujus titulus talis: des Heil. Geistes Beschreibung von Leiden und Sterben unsers Herren JEsu CHristi durch eine blindgebohrne Jungfrau Justitia Sengers in Braunschweig zu wahrer und letzter Warnung der jetzigen verstockten Welt. Hamburg 1493. Hujus qvoqve libri mentionem injicit *Saxo* (45), eundem his verbis commendaturus: Ich habe selten eines Verses Erklärung mit druckenen Augen und ohne Freuden Thränen durchlesen können &c.

Anæsia SENTIAREA, causam, L. *Titio* prætore, judicium cogente, maximo populi concursu egit, partesqve omnes ac numeros defensionis non solùm diligenter, sed etiam fortiter executa, prima actione cunctis penè sententiis liberata est. Qvam, qvia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, *Androgynem* appellabant (46).

Aloysa vel *Loysa* SIGÆA, virgo *Toletana*, cum sui ævi doctissimis viris comparanda, qvinqve lingvarum adeò perita, ut non immeritò *Paulus* III. Pont. Max. literas Illius ad se *Latinè*, *Græcè*, *Ebraicè*, *Syriacè* atqve *Arabicè* scriptas maximi æstimaverit, inqve tenellâ hâc & musteâ virgine tàm multiplicem ingenii fructum in viris qvoqve rarum admiratus fuerit (40). Inde qvoqve commota *Lusitaniæ Regina SIGÆAM* ad aulam accersivit, & inter fœminas illustres vivere concesit (47vv). Circumfertur vulgò sub Ipsius nomine libellus contra bonos mores latinus, qvem utrum spectatæ Ipsius pudicitiæ rectè adscribant, rectius ambigo.

Regina SILVESTRINA, natione Itala, adeò mirabili prudentiâ virgo, ut ad omnia ferè proposita appositè respondere, extempore exculti ssima carmina pangere, eaqve Angelicâ voce præcinere suffecerit (47).

SO-

(45) In Keyserkronick *sub Maximil II f. 390* (46) *V. Val. Max. lib. VIII. c. III. p. 262.* (40) *Vid. Ludovicum Nonium in Hisp. c. 59. Kornmannum l. c p 33.* (47) *V Thuanus lib. XXVI f 538. Gualther. II. Chron. p. 1260. Conf. Tom. II. Hisp. Illustr. p. 822.* (47) *V. Gualth. Tom. II. Chron. p. 1289.*

Magdalena Wilhelmina, SOLMENSIS *Comitissa* &c. Divini ingenii Virago, qvæ inter alia eruditionis monumenta egregium ILLUSTRI NOSTRO ZIEGLERO, Saxoniæ *Papiniano* epithalamion Nuptias cum *Klaubartia* celebranti A. C. 1678. hîc excusum perscripsit.

SOPHIA *Eleonora Degenfeldia*, qvam *CAROLUS LUDOVICUS*, Elector haud ita pridem Palatinus, post divortium cum Conjuge factum duxerat, tàm sagaci ingenio varioq; lingvarum cultu excelluit, ut Ipsum Electorem *Gallicis, Italis, Latinisqve* literis & blandimentis in amorem sui facilè abriperet, inqve amore conjugali detineret. Paucis abhinc annis mortua immortali epitaphio condecorata *Heidelbergæ* qviescit.

STROMERA, *Heinrici Stromeri*, Aurbacensis Medici, Archiatri Moguntini Filia, qvam eleganter latinè loqventem se audivisse testatur *Mulerus* (4y)

Laurentia STROTIA, *Zachariæ Strozzæ* filia, Dominicana Florentina, præter alias lingvas *Græcæ* atqve *Latinæ*, ut & *Philosophiæ* atqve *Musicæ* perqvam perita. Hymnos latinos ad *Horatii* imitationem compositos in omnia festa juxta Ecclesiæ Rom. usum feliciter adornavit, qvos *Jac. Manduitus*, Parisinus *Gallicè* vertit, & harmonicis notis instruxit (4z) Obiit A. C. 1591. ætatis 77. *à Sebast. Hormoltio*, Consiliario Wittemberg. Epitaphio acrosticho honorata (5a) *Quirinus Strozzus* Laurentiæ hujus frater, Græcam lingvam cum Philosophiâ *Florentiæ, Bononiæ* & *Pisis* summo cum applausu docuit (5b).

Susanna STRUVIA sangvinè Magni BERLICHII nata, matrimonio Summi G. A. STRUVII juncta, scripsit Geistl. Andachts Perle (5c). librum majori pietate ac spiritu, an eruditione commendabilem? Qvale qvid & cætera, qvæ meditatur, perdocta meletemata, sapiunt. In suâ utriusqve sexus prole educandâ hactenus prudentissima ac felicissima Mater fuit. Deus huic splendidissimæ familiæ æternum ut faveat, meritò vovemus.

Maria de SUCCA eruditionem, qvam nacta fuit, egregiam *miraculum sequioris sexus* appellatur *Val. Andr. Desselio* (*).

SULPITIA, genere & eruditione nobilis Poetria, sub *Domi-*

(4y) *in Orat. pag. 157.* (4z) *V. Miræus Part. II. Biblioth. p. 152.* (5a) *Morerius in Diction. Hist.* (5b) *Thuanus Hist. l. 100.* (5c) *Impress. Lip. Anno 1672.* (*) *in Bibl. Belg. p. 648.*

tiano clara, cujus unica saltem exstat satyra. Marito autem *Calenо* castos & pios amores scripsit, qvorum præter *Martialem* (5d) meminit *Sidonius Apollinaris* [5e). T.

Elisabeta TANFELDIA, Angla, *Ebraice, Græce, Latine, Gallice* locuta, *Perronii* Cardinalis ad *Jacobum* R. responsum in Anglicanam, ceu vernaculam transtulit lingvam. *Londini* mortua Anno C. 1639 ætatis 60 [5f].

TARQVINIA *Molza*, Mutinensis fœmina, *Ebraicam, Græcam* atqve *Latinam* philologiam exqvisitè coluit. In *Alphonsi* II. Ducis Ferrar. aulâ cum *Livia Preparata* & *Ursina Cavelleta* commercium literarium fovit. Perlegenda atq; censenda Ipsi tradita sunt *Tassi, Guarini* &c. opera, qvæ Ipsâ approbante prodierunt. Deniq; à Senatu Romano Civitatis nomine atqve jure, cum tota familia, donata A. C. 1600. [5g].

Damoiselle TRIVULTIA, Mediolanensis virgo. Hæc 14. annorum adolescentula tam felicis arq; tenacis memoriæ fuisse traditur, ut cujuslibet orationem aut concionem sibi auditam ἀπὸ τοῦ στόματος repetere valuerit [5h]. V.

Loüise, Francoise de la Baume le Blanc, la Duchesse de la VALLIERE *& de* VAUJOUR &c. *Laurentii de Baume le Blanc, Equitis de VALLIERE, Baronis de Maison-fort &c.* filia, qvæ, simulac mundi illecebris atqve tricis se explicuisset, atqve *Carmelitarum cœnobium* in suburbio *Saint Jaques* Parisiensi, Ordinis habitu induto An. C. 1674. intrasset, libellum sensu Papistico pœnitentialem hoc duplici nomine *Loüise de la Valliere* & *Loüise de la Misericorde*, juxta ac sub duplici facie einer Sünderin und Büsserin scripsit, & cum approbatione Theolog. Parisiensium *Dn. Rouland. & Ph. du Bois* A. 1680. edidit, qvem Germanicè transtulit & Francos. A. 1682. recudi curavit Dn. Matth. Krämer.

ULRICA *Eleonora*, Stemmate *Danico* FRIDERICI III. & Con-

(5d) *Quem omnino vide l. b. X. Epigr. XXXV p. m. 323. Epig. XXXIIX. p. m. 325. Edit. Farnab. ubi cum singulari affectu illud de Sulpitia, hoc ad Calenum scripsit.* (5e) *Carm. 6.* (5f) *Vid. Hilario Costus in Elog. fœm. illustr. Tom II. p. 728. seqq. Edit. ab Anno 1647.* (5g) *Vid. Pet. Paul. Ribera lib. 4. de Glor. immort. Fœm. illustr.* (5h) *Vid. Dn. M.* Ernsts Gemüths-Ergetzligkeit/ *Colloq. XXVI. p. 474.*

Connubio *Svecico* CAROLI II. Regia, ſtudiis atqve eruditione Egregia Regina, *Latine, Gallice, Italice, Danice, Svecice, Germanice* adeo docta, ut cujusvis nationis ac idiomatis Legatos, libros, librorum dedicationes atq; libellos ſupplices facile intelligat, promptęqve explicet. DEus noſtræ Eccleſiæ & Regni ſui commodis Hoc ſingulare Virtutum miraculum qvàm diutiſſime inter mortales ſuperſtes relinqvat.

- URSULANA *Hedwig*, Dn. *Achatii* von Veltheim / *Hæreditarii* auff Alderſtadt/Derenburg/Groppendorff und Elbe ꝛc. Filia, in *Societate Teutonica* der ſämptlichen Någlein Zunfft Oberzunfftmeiſterin und Obervorſitzerinn/cognomine die Kluge &c. *Latinæ, Gallicæ* atqve *Italicæ* lingvæ ſupra ætatem perita & inſignis poetria. Qvam der Unverachtete in Onomaſtico vocat Preiß und Zierath unſrer Zeit. Spem & vota omnium ante biennium [An. 1684.] morte matura fefellit.

Anna UTENHOVIA, variæ lectionis & eruditionis fœmina ad poëmata facile invenienda & ornate locanda pro fœcunda ingenii indole apta nata (si).

Helena Maria WACKERIANA à Wackenfels multarum literarum, ſcientiarum atqve artium virgo, Pragæ diem ſupremum in florida juventute obiit [sk].

Eliſabeta Johanna WESTONIA, illuſtri natalium ſplendore in Anglia nata, poſtmodum *Johannis Leonis* in Cæſarea aula Pragæ Agentis Conjux, *Germanicæ, Bohemicæ, Angelicæ, Italicæ, Latinæ* lingvæ admodum gnara. Poëtria florentiſſima, qvæ literarum atq; carminum commercio ſummos ſæpe oblectavit Poëtas, Profeſſores, Doctores, Aulicos, Principes, Reges atqve Imperatores. Poëmatis ad *D. Rudolphum II.* dati ultimum diſtichon ſic ſonat:

Exaudi miſeram: triſtem ſolare Camœnam;
Affer & optatam, qui potes, unus opem.

Qvot & qvanti Viri Hujus Heroinæ amicitiam ambiverint, videre eſt in *Parthenicon Eliſab. Joan. V Veſtoniæ* tribus libris, qvos collegit & edidit *Georg. Mart. à Baldhoven* [sl], Nobilis Sileſius. Inprimis id æternâ memoriâ dignum putat *B. Thomaſius* (sm), qvod

(si) *Vid. Poſth. part. II. Fœm. p. 339.* (sk) *Conf. Baldhoven in catal. D. F. & V. ſub fin.* (sl) *Pragæ excuſ. in octava forma* (sm) *Diatr. de it. Th. I. § 50.*

Paulus Melissus, Francus, Comes Palat. Ipsam laurea coronavit, ceu constat ex *carmine Sapphico* (50), quod tunc cum Brabeo Poetico simul transmiserat. Et si ea demum vera laus est, quæ ab iis proficiscitur, qui Ipsi in laude vixerunt, sanè nostra *Westonia* laudatissima erit. Etenim *Jos. Scaliger* Illam *Virtutum miraculum*; *P. Melissus*: *Musarum Ocellum*; *Dan. Heinsius*: *Deabus æqualem*; *Baldhoven*: *Vatum palmare decus*; *Hellerus*: *Piam Pallada atque Grajam*; *Job. Gennadius*: *Ex Musis decimam*, *&c.* dicunt atque prædicant. *L. Feighius* huic castissimæ Virgini *libellum precationum* tanquam munusculum pium piè obtulit ac dedicavit cum hâc inscriptione:

Aurea non potui tuo transmittere, Virgo,
Quæ potui, mitto munera sacra Tibi.
Quæ si grata Tuis fuerint, ut spero, Camenis;
Dic, age, dona placent talia: plura dabo.

Elisabeta WIDEBRAMA, variis lingvis egregiè exculta, & poëmatibus scriptis atque inscriptis clara, quam laudat *G. M. Baldhoven* (50).

Elisabeta WINCKLERIA, *Vratislaviæ* sub initium hujus seculi celebris, cujus memoriam CL. *Dn. Martynus* HANNKIUS, *Gymnasii Elisabethani Rector, Phil. Pr. Log. & Metaph. Professor ac caterarum Scholarum August. Confess. addictorum Inspector meritissimus* inter vitas Clarorum è Silesi *Philosophorum*, Philologorumque, publica panegyri, A. Gr. 1668. d. 1. Nov. repetitam ac celebratam voluit. Vitam cum morte commutavit A. Gr. 1613.

Z.

Angela ZABATA, *Valentiâ Hispaniæ*, incredibili ad omnis generis literas ingenii celeritate ac dexteritate, pudicitiâ atque prudentia singulari cultissima fœmina (59), quæ cum angelica mente donata esset: Viri doctissimi, *Ludovici VIVIS* (59) civis sui amplum & magnificum testimonium de ingenio pari er & doctrina tulit.

Susanna Elisabeth ZEIDLERINN, *Reverendi Dn. Gottfried Zeidleri, Fienstadiensis in Mansfeldensi Comitatu Pastoris*, doctissima Filia, quæ scripto non uno, poematibus Heroicis Heroum Fa-

(58) *quod lib. III. Parthenicon reperitur,* (50) *l. c. in fine.*
(59) *V. Tom. II. Hisp. Illustr. p. 822.* (59) *Quod habet lib. 1. de Christ. Fœm. c. IV. p. 195.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0064

Factis atqve Nominibus sacratis hactenus innotuit, nomenqve immortale meruit. *Potent.* ELECTOREM *Brandenb.* A. 1681. Hallensium homagio excertium *carmine Germanico* eleganti non sine laude & gratia Electorali excepit.

ZENETI, *Hispana*, Virgo, lingvarum atqve scientiarum variarum valde perita dicitur [5b]

Martha Elisabeta ZITTERINN, subacti sed varii ingenii virgo, sinceram nostram amplexura religionem, matri publicis typis detexit Gründliche Ursachen/ was Sie bewogen/ daß Frantzösische aliàs Weisfrauen Closter in Erfurt zu verlassen und sich zu der wahren Evangelischen Religion zu bekennen. Qvod scriptum *Jnæ* tanti æstimatum, ut qvinqvies recusum prodierit. *Max. Rev.* DN. D. SAGITTARIUS (*) per literas cum Ipsâ tàm intimè egit, ut *P. Schönmanni* suspicionem & calumnias vix effugeret. Sed cum *Deo* atq; *Principibus Gothanis* protervè satis illusisset, *in Monasticam* recidit insaniam, & causis iteratæ defectionis divulgatis *S. Ursulæ cœnobium Kizingense* ad Mœnum intravit. Cui scripto peculiare scriptum opposuit *Nobiliss. Dn. L. Hieronymus Brucknerus*, Gothæ 1679. qvod vide.

§ XXIII. Tantum de Eruditis fœminei sexus Exemplis, pro hâc chartæ, temporis & adparatus angustiâ protulisse sufficiat. Plura, qvæ supersunt, qvi nosse cupit, haut gravatim adeat atqve evolvat *Joh. Boccatium* (6a) *Baptist. Fulgosum* (6b). *Ludov. Jac. à S. Carolo* (9c). *Hilarionem de Coste* (6d) *Antonium de Gvevara* (6e) *Joh. Jac. Hoffmannum* (6f) *J. H. Hottingerum* (6g)

(6a) *Qvem laudat B. Thomasius l. c. th. II. § 3.* (6b) *lib. VIII. Exempl. memor. c. 3.* (6c) *in Biblioth fœm. p. 302.* (6d) *in lib. Gallico, cujus inscriptio talis : Les Eloges & vies des Regnes, Princesses, Dames, & Damoiselles illustres en Piete, Courage & Doctrine, qvi ont fleury de nostre temps, & du temps de nos Peres avec l'explication de Leurs devises, Emblemes, Hierogliphes & Symboles, à la Reyne par F. Hilarion de Coste, Religieux de l'Ordre des Minimes de S. Sanct. Francois de Paule, A. Paris 1630.* (6e) *Horolog. Princip. lib. II. c. 31 33 34. 35 è6. à pag. 465. usqve ad 495.* (6f) *in Lex. Univers. Qvamlibet sub proprio nomine.* (*) *Qvem vide sis* in der Vorede über die gründliche Vertheidigung der Lehre und Lebens des seel. Herrn D. Martini Lutheri &c. *p. 20. seqq.*

(6g) *Petrum Lambecium* (6h) *Joh. Limnæum* [6i] *Thom. Reinesium* (6k) *Dn. M. Joh.* Saurbrei/ (6l) *Heinr. Spondanum* (6m) *D. Joh. Stegmannum* [6n] *B. Dn. Jacob Thomasium* [6o] *Joh. Textorem Ravisium* [6p] *Andr. Tiraqvellum* [6q] *Mart. Zeilerum* (6r) *Theod. Zwingerum* (6s). Hîc autem a nobis recensitarum, præsertim recentiorum, plerarumqve notitiam suggestioni benevolæ & libris SCHURZFLEISCHII, REISKII, *nostri q. amantissimi* CALENI, acceptam potissimum ferimus.

§. XXIV. Ceterùm ex ductis hisce lineis aliqvantulũ relucebit *intempestivum, invidum* & *impium* esse Illorum judicium, qvi sexum hunc non modo omni *judicii* laude defraudant (6t), sed & multis *convitiis* oneratum ab omni arte, doctrinâ & honesto doctorum consortio excludunt, pensisq; & qvasillo addictum in Gynæceum qvasi ergastulum detrudunt. Ut taceam virulenta nonnullorum dicteria, qvibus decus humani generis dedecorant: Sic *Severus* hæreticus Dæmonem esse architectatum fœminas, antiqvitus docebat: *Eustrathius* spem in Deum habere nullam, qvi uxorem duxisset, asseverabat. *Manichæi* loca à fœmellis contacta, qvasi abominando qvodam contagio infecta, scopis purgabant; *Scurra* qvidam (6u) ex muliere se natum dolebat. *Aristoteles* (6w) fœminas qvasi monstra qvædam virilis sexus & naturæ deliqvia proscindit.

(6g) *In Dedic. ad Elisabetam, Palatinam, Parti V. Hist. Eccles. præfixâ.* (6h) *Append. IV. Prior. Capp. lib. II. Prodrom. Hist. lit. Sciagr.* (6i) *Addit. ad J. P. Tom. V. lib. VIII. c. 3. & 8. p. 340. & 347.* [6k] *Var. lect. lib. II. c. 12.* [6l] *In Diatr. de Fœm. Erud. post. Catal. Fœm. eruditarum in Diatr. pr. non memoratarum §. 1. 2. 3. 4. 5. 6 hab. Lipsiæ A. Gr. 1671. revisa 1676.* (6m) *ad A. C. CCCLXXXII. n. 8.* (6n) *Christog. P. I. p. 2. 3. seqq.* (6o) *Diatr. de Fœm. Erud. prior. th. 1. §. 47. 48. seqq. th. II. §. 5.* (6p) *in Officin. à p. 458 usque ad 468.* (6q) *Tom. II. Operum, de Leg. Connub. & jure marit. in legem Connub. VI gloss. prim. à fol. 185. ad 193.* (6r) *Theatr. Tragico p. m. 582. seqq.* (6s) *Theatro Vitæ Hum. Vol. III. lib. 1. fol. 212 seqq.* (6t) *Quod Joh. Huates, Medicus Hispanus fecisse videtur, cum in Scrutinio ingeniorum c. XXI. p. 609. seqq. hæc scribit: Fœmellæ ob rationem frigiditatis, humiditatisqve sexûs sui profundum, quod ingenium consequi non possunt. Nam ubi ad literarum studia adhibitæ fuerint, nihil aliud addiscere comprehendereq; possunt, qvàm aliqvantulum latinitatis, idq; ideo tantum, qvia memoriæ id opus est.* (6u) *Apud Hasenmüll. in Hist. Jes.* (6w) *lib. IV. de Gen. Animal. c. 6 3. It. lib. II. c. 2.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0066

dit. Qvam fecura *Scholaſticorum* (6x) ſpinoſa natio fœminas in maſculino ſexu eſſe reſurrecturas ſomniat. *Cato* converſationem noſtram non fore absqve Diis, ſi eſſet ſine fœminis, morosè judicat. *Homerus* muliere nihil pejus, nihil improbius improbe dicit. Fœmina malum eſt neceſſarium *Simonidi* Ignis, mare, mulier, mala tria *Euripidi*. *Perſa* Uxores ſolent comparare *calendario*, cujus uſus & amor cum anno incipit & deſinit. Plurima alia livor hominum in genus hoc eructat, qvod in hominis adjutorium condidit benignus Creator. Modeſtius *Judæi* (6y) judicant, qvando reſpondent: *Cur ex coſta maris ſit producta mulier, non ex alio Viri membro? R. Deus creaturus Evam ex Adamo cogitavit, unde creanda eſſet, dicens: non ædificabo Eam ex oculo, ne extollat oculos, ut ipſa Eva; neq; ex aure, ne ſit auſcultatrix, ut Sarah; neq; ex ore, ne ſit garrula, ut Mirjam; neq; ex manu, ne furetur, ut Rachel; neqve ex pede, ne excurrat, ut Leah* &c.

§. XXV. Qvemadmodum verò cum canibus iſtis nec lattare nec mordere, ita neqve cum avibus hiſce volare cupimus, qvi vel *Tholoſanum* (7a) imitari, fœminas Maribus virtute pares faciunt; vel *Henr. Corn. Agrippam* (7b) ſecuti mulieres Viris multis paraſangis anteponunt; vel *Wilhelmum Ignatium Schütz* (7c), *Fuldenſem Cancellarium* intuiti ſeqviorem ſexum juſto altius evehunt. Nos medium amamus iter, ut nec adimatur muliebri ſexui qvicqvam, qvod ipſi Divina gratia conceſſit, nec addatur, qvod abeſſe illis ſupremum Numen maluit. Nam neqve hoc ſtatu fœminas benigna Natura ab eruditione arcet, neqve gentium conſvetudo revocat; Illis enim per naturam excitatis atqve ſolertibus, per opes atqve honores magnanimis, per juſtas ferias

(6x) *Qvi reprehenduntur ab Antonio Ponce Sanctacruz Phil. Hipp. f. 157.* (6y) *Rabbi Joſuah in Rabbos Sedor C. Tezef CCXCVII. c. d.* (7a) *lib. VII. de Repl. II n. 25 64. §. 76.* (7b) *Declam. de Nobil. & Præcell. fœm. ſex. p. m. 518 ſeqq.* (7c) *In libello, cui titulus:* Ehren-Preiß des Hochlöblichen Frauen-Zimmers/ Franckf. am Mayn/ A. 1663. *Qvem citat & refutat cum Perſonati Poliandini, rectius: Johannis Gorgiæ, Tranſylvani* geſtürtzten Ehren-Preiß des hochlöbl. Frauenzimmers &. *Jac. Thomaſius Præf. LXXI. p. 450.*

ferias otiosis nil *Musicis, Philologicis, Philosophicis* aliisqve artibus atqve scientiis antiqvius, nil dignius, nil decentius usu venire potest ac debet. Ut tamen determinatus, publicus atqve ordinarius studiorum cultus non nisi VIRIS per naturæ legem & gentium statura ubiqve integer relinqvatur.

DEO LAUS ET GLORIA!

Ad. Dn. Autorem

FRAULOBIUS qvondam, ductus cognomine, fertur
Fœmineum eximia laude tulisset horum.
Hinc & eum rursus multo hic mactavit honore,
Defunctumqve humeris ad sua busta tulit. *
TE vero vivum celebrandis pluribus aptum
Plures laudabunt & super astra ferent.
Qvin qvoqve, pulchrarum qvos ducit gloria rerum,
Docta per ora *Virum* TE bona fama feret.

(*) Observante *Joh. Wolffio Lect. Memor. P. 1. L. XIV. ad A. 1313. p. Vet. Ed. 604. recent. Ff. 491.* ubi hæc habet: *Henricus Frawenlob multa, fortè cognomine motus, in laudem fœminei sexus scripsit. Post mortem gratitudinis ergo à mulieribus ad sepulchrum adportatus, & magnificè maxumaqve pompa incineratus fuit.*

Honori & amicitiæ CL. DN. AUTORIS dabat
FRIDERICUS CALENUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0068



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0072

& invenietur ſcientia in mulieribus, ſive de
tellectum id velint, ſive quod veriſimilius eſt,
nii acumine, qua tamen nulla audacior eſſet
hyperbole, convincere erroris ac temerarii a
bimus.

XVI.

Illud interim, dum ad ipſum, quanquam
admodum exemplorum recenſum altera Diſſertat
bit, monendum ſupereſt, cum nequidem ad
que ſuæ arcana mulieres admittere velint ſuas
res, vix eſſe, cur magnum aut qualemcunqu
eruditionis apparatum ab iisdem nobis promitt
poſtquam, quam alieno ſit animo tota gens E
na externa & literatura Græca Latinaque non
verum etiam Philoſophia addiſcenda, ſatis ſup
ſi a Luſitanis, hodie certe, diſcedas, uti vix n
inter eruditiſſimos cætera Judæos vel prima
pientiæ externæ rudimenta teneat, nemin
verſato ignotum eſſe poteſt; magno quidem
verſionis ac ſalutis impedimento & ſingulari,
vino juſtoque judicio, quo fieri ſolet, ut quæ
ipſos latine plerunque ſcribuntur, (non ſatis
hac ratione inſtar clauſorum Librorum, ut pr
XXIX. 11.12. illis ſint, quos nec evolvunt ac l
queunt, multominus intelligunt aut in animu
longo majori ſuæ nationis dedecore, quippe q
olim toti terrarum orbi ad invenienda diſciplina
creta & excolenda eadem præluxiſſe non poſtr
rum Doctorum eſt ſententia ſcriptis haud prolet
quinimo ab ipſismet Judæis, quorum aliquis o
& diſciplinam Paganorum ויניחו להם חכמי

העברים

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830125345/phys_0073